DE MORBORUM EXANTHEMATICORUM SEDE IN VARIIS CORPORIS REGIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE XXVII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS GUSTAVUS BAUMBACH
SAXO-MEININGENSIS.

OPPONENTIBUS:
AUG. HERM. KRAUSE, MED. ET CHIR. DR.
CAROL. FRID. HELMUTH, MED. ET CHIR. DR.
HERM. LUETTGE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

INTRODUCTIO.

Multos immo plurimos morbos exanthematicos quoad sedem in variis corporis regionibus eligendam magna constantia excellere, nec nisi eruptionibus secundariis et indole leviori ad alia etiam loca aberrare, inde ab antiquis temporibus observatum adeoque per classificationem, a Mercurialio (1), Turnero (2) et Aliberto (3) propositam, divulgatum est. Quae quidem a sede desumpta morborum divisio etiamsi vituperanda et rejicienda est, quum in ea alii morbi, valde inter se discrepantes, sub eodem ordine militent, alii, maxima similitudine inter se conjuncti, sejungantur, nec raro eadem species, quod plures regiones incolit, pluries et sub alio nomine describatur: tamen, si, quae hucusque de hac re observata et per auctorum libros dispersa exstant, colligerem collectaque in ordinem quendam consentaneum redacta describerem, cum ad diagnosin horum morborum,

(1) De morbis cutaneis, 4. Lugduni 1623.

(2) A treatise of diseases incident to the skin, in 8. Lond. 1730.

(3) Description des maladies de la peau. Paris 1806.

tum ad eorum in cutis variis elementis sedem penitius cognoscendam, fore, ut fructus quidam inde mihi redundaret, speravi.

De hoc exanthematum in sede sibi eligenda peculiari studio si quis rationem reddere conaretur, labor certe in irritum caderet. Ad tales quaestiones solvendas penitiori opus est cutis quoad structuram anatomicam, functiones et ad organa interna relationem cognitione. Quod quidem problema posteris solvendum restat: at hic labor! hoc opus!

A. DE SEDE MORBORUM EXANTHEMATICORUM IN GENERE.

Fragmenta.

1. Nullus est totius corporis superficiei locus, qui a quovis exanthemate semper liber remaneret; sed alia loca prae aliis vexantur. Ordo, quo singulae corporis regiones saepissime his morbis laborant, haud certo indicari potest; tamen vix una est exanthematum species, quae capiti supervenire non posset, ita ut capitis variae plagae omnium plurimis obnoxiae sint morbis eruptivis. Extremitates secundum caput plurimis efflorescentiis sedem praebent, et antibrachia cruraque majorem iterum morborum numerum offerunt. Trunco pauca tantum exanthemata propria sunt, etiamsi ab aliis partibus morbi eruptivi saepissime ad eum transmigrent.

2. In investiganda exanthematum sede distinguenda sunt loca, quae centra quasi vel focos eorum constituunt, ab iis, quae modo secundario corripiuntur, quaeque singulis tantum efflorescentiis obsessa conspiciuntur. Sic

e. g. Acne faciem praecipue, cervicem regionesque scapulares et interscapulares sedem sibi eligit; at fere nunquam in his locis subsistit, sed pustulas singulas ad cutem capillatam, extremitates superiores atque ad reliquum truncum tanquam radios a centro vel foco illo ad peripheriam quoquoversus emittit; sic porro Sycosis focum habet in mento et ad barbam vicinam transmigrat; sic Gutta rosacea in nasi cacumine residit, unde genas, frontem et mentum versus viam deflectit; sic denique Favus in cute capillata, Lupus in alis nasi, Scabies in articulis, Lepra, Psoriasis, Rupia in extremitatibus, exanthemata syphilitica in cute ossa contegente focos et arenas habent.

3. Saepe regiones corporis oppositae eruptiones diversas praebent vel singularum eruptionum fines constituunt.

a) Superficies corporis dorsalis suas habet exanthematum species, non nisi per exceptionem corporis latus oppositum tenentes; et vice versa corporis superficies anterior et musculis flexoribus respondens exanthemata propria habet. Papulae et squamae e. g. dorsum trunci extremitatumque superficiem dorsalem amant, dum Scabies, Miliaria, alia, trunci faciem anteriorem et extremitatum cutem flexoribus musculis superjectam invadunt.

b) Simili modo partes corporis superiores, caput, collum, pectus et extremitates superiores; itemque vice versa partes inferiores peculiaribus eruptionibus sunt conspicuae. Sic e. g. exanthemata acuta in superioribus corporis regionibus sunt evolutissima, dum abdomen et extremitates inferiores non corripiuntur, nisi forte magnam adtingunt gravitatem aut si partes illae aliis affectionibus

morbosis jam antea labefactatae erant. In nonnullis e contrario chronicis morbis, Rupia, Ecthymate, Lepra, aliis, partes corporis inferiores inprimis laborant, nec nisi in vehementiori morbi decursu ad superiores ascendunt.

c) Maxime mirum in hac pertes oppositas invadendi exanthematum indole apparet, quod plura eorum dextrum saepe sinistrumve corporis latus unice teneant. Tales non solum Zonae, sed aliorum quoque tam acutorum quam chronicorum exanthematum eruptiones se praebent. Quod vario modo fieri potest.

α) Fr. Hoffmann primus observavit, in hemiplegia, si aegrotus alio alterove exanthemate afficiatur, morbum in latere resoluto graviorem erumpere, quam in sano. Exempla praebent Miliaria, Pemphigus, Scabies, Purpures (vid. infra.)

β) Exanthematum aliqua species si fortuito aegrotum, cujus alterum latus alio morbo laborat, aggreditur, alius morbus alium in altero latere retinet, ita quidem, ut e. g. dextrum latus a rheumatismo, sinistrum pustulis variolosis vexetur (vid. Variolam.).

γ) Varia exanthemata, quorum contagia eodem tempore corpori inferuntur, finibus saepe invicem se includunt, ita ut in alio latere aliud, in altero alterum efflorescat. (vid. Variolam.) Huc etiam Cozii pertinet observatio, qui cum cujusdam dextro brachio duos annos asservatum, sinistro recens Variolarum virus eodem tempore inoculavit, in dextro corporis latere vix duodecim, in sinistro tot pustulas erumpere vidit, ut fere confluerent.

δ) Plura apud auctores exempla exstant, in quibus exanthema quoddam utrumque alias corporis latus tenens,

fere solum in altero latere observabatur, altero salvo. (vid. Erysip., Scabiem, Pemphigum).

4. Exanthemata omnem interdum corporis superficiem tenent, quamvis rarius id fieri soleat, quam credas. Interest enim inter exanthemata magnam corporis partem obtegentia et inter generalia. Ad generalia exanthemata acuta refer, Morbillos quidem, Scarlatinam et Variolas nec non impetiginum aliquot species decursu acuto incedentes. Lex enim est satis constans paucasque tantum exceptiones admittens, morbum quemvis cutis eruptivum, quo acutiore incedat decursu, eo majorem tenere cutis superficiem. — Alia exanthemata e contrario arctis finibus includuntur. (Sycosis, Lupus, Acne, Favus, al.)

5. Exanthemata aut simul per totum corporis ambitum efflorescunt (quod quidem rarius fieri solet), aut a certa regione oriunda hinc ad alias partes protinus tendunt, quod duplici efficitur modo, vel ad superficiei continuitatem vel saltuatim. Quodsi primum accidit, fieri hoc modo solet, ut

a) morbus simul in regionibus primum affectis persistat, ita ut revera ad spatium increscat. Talis est exanthematum acutorum, Variolarum, Morbillorum, Scarlatinae, Rubeolarum decursus, quarum a superioribus plerumque regionibus, a facie imprimis incipit eruptio et hinc pedetentim ad loca proxima inferiora pergit. Reliquorum exanthematum ratio procedendi minus constans est.

b) morbus ingressu serpente procedat, h. e. ad superficiei quidem continuitatem, ita vero ut regiones primum affectae, prout morbus ad proximas partes progre-

ditur, ab exanthemate liberentur. Quo in decursu saepius accidit, ut exanthema omnem pedetentim corporis ambitum emetiatur (vid. Erysipelas serpens pluresque impetiginum species).

Si saltuatim incedit morbus, plures subinde regiones majori nimorive spatio disjunctas adoritur, hic illic efflorescens, et exanthema quidem aut evanescit e loco primum affecto (vid. Erysipelas), aut in eo perseverat (vid. Antimoniam et plura tam acuta quam chronica exanthemata).

6. Multa exanthemata praeter cutem et alias telas membranaceas infestant. Plures morbos eruptivos prope ad membranas mucosas, conjunctivam e. g. oculi, membranam pituitariam nasi, mucosam oris, auris, vaginae, intestini recti nidulantes, in eas transire, non est quod in dubium vocari queat (cf. Erysipelas, Scarlat., Morbill., Herpes, Eczema, Miliaria, Pemphigus, Variola, Ecthyma, Lupus); ventriculi vero etiam et intestini tam tenuis quam crassi, nec non bronchiorum membranam mucosam, adeoque tunicas serosas aut simul cum cute, aut seorsum et per metastasin multis exanthematibus (Erysipelate, Morbillis, Scarlatina, Variolis, Miliaria, Scabie, Pemphigo) invadi posse, haec, quamvis virorum eximiorum auctoritate (vid. infra) polleat, magna tamen dubitationis controversia premitur contentio (13.)

7. Pro varia hominum aetate idem exanthema varias saepe regiones tenet. Nam sicut varia aetas variis saepe infestatur exanthematum speciebus, sicut e. g. Sycosis non nisi hominibus adultis, Acne juvenibus praesertim pubertatem ineuntibus et aetate paululum provectioribus, exanthemata acuta liberis et juvenibus,

Erythema marginatum senibus insidiantur; sic quoque vim exercet in eruptionem exanthematum per varias corporis regiones [vid. Erysipelas (neonatorum), Eczema, Zonam, Petyriasin, Impetiginem (capitis)]. — Causam praesentiae et absentiae eorum variis aetatis temporibus in variis corporis regionibus in eo quaerendam esse credo, quod alia vitae aetate aliae saepe cutis regiones (vid. Eczema) vel organa interna, consensu cum ea conjuncta (vid. Zonam), aliis praevaleant functionibus.

8. Et sexus diversitatem in exanthematum sede deligenda aliquid valere, luculenter perspici potest in Sycosi, quae, etiamsi feminas afflictet, in earum tamen facie spatium semper angustius occupat; itemque Eczema mammarum solum fortasse sexum sequiorem prehendit. Huc etiam Miliariae pertinet puerperarum abdomen, partes sexuales externas, femoraque primum invadendi modus.

9. Cutis et cuticulae majorem minoremve teneritatem vel duritiem alicujus in exanthematum sedem deligendam momenti esse, haud dubitari potest. Sic Hydrargyria, Hydroa, Miliaria, Scabies regiones cute tenera conspicuas prae ceteris amat, dum eruptiones papulosae, squamosae et tuberculosae cuti densiori favent.

10. Saepenumero exanthematum sedes a genio epidemico pendere videtur; desunt autem de hac re observationes sat accuratae et numerosae (vid. Erysipelas.)

11. Haud dubie potentiae physicales, calor, lux, gravitas, ut in alios morbos tam externos quam internos, ita quoque in eruptionem et sedem plurium exanthematum magni sunt momenti. Quae sit luci et calori vis in efficiendas Ephelides, Miliariam, Eczema, nemo nescit,

sed gravitatem etiam uti in ulcerum aliarumque affectionum, ita quoque in exanthematum sedem et naturam, impedita humorum circulatione, vim aliquam exerceri, scriptores de morbis cutaneis vix suspicati sunt, quamvis in hominibus cachecticis et ad corpus debilitatis itemque in desidibus et vitam sedentariam degentibus exanthemata, quorum in aliis regionibus sedes esse solet, magna cum pertinacia et naturae suae alienatione in extremitatibus inferioribus quotidie saevire videas [vid. Lichenem lividum, Pemphigum, Rupiam, Impetiginem, Lepram, (Purpuram) alia].

12. Irritamenta chemica et mechanica cuti illata haud raro ad eruptiones papulosas, vesiculosas, pustulosas, al. provocandas per se sufficere, exempla docent infra fusius illustranda. Quae quidem exanthemata localia in eo loco, quo facta est irritatio, subsistere solent, rarius in aliis regionibus eruptio secundaria cernitur, uti in Vaccina interdum et Antimonia (vid. infra) videre licet.

13. Morborum exanthematicorum variae species pro vario, quod infestant, cutis territorio, vario ambitu et forma conspicuae sunt. Morbillorum, Scarlatinae maculae et pustulae variolosae in facie et omnino corporis partibus superioribus majores esse saepiusque confluere solent, quam in abdomine atque extremitatibus inferioribus, similique modo Zosteris vesiculae pro variis locis natalibus ad magnitudinem valde variant. (cf. Zona.)

Crederes forsan, formas exanthematum principales, papulas, vesiculas, bullas, pustulas, tubercula, quum plures earum vel certas incolant plagas (papulae e. c. trunci et extremitatum dorsum), certis inhaerere cutis elementis; cui tamen rei repugnant observationes circa exanthemata

syphilitica institutae; nam haec, ut monet Albers, non solum formas suas affines alternant, sed diversissima quoque celeri vice aliud alterum sequuntur, ita ut vesiculae non solum in pustulas, sed etiam in papulas et tubercula, et tubercula iterum in pustulas transformentur.

Jam hic locus esset de exanthematum pro variis, quibus insident, telis anatomicis, varia forma disserendi atque observationes et contentioues de hac re prolatas multaque disputatione agitatas seorsum illustrandi, nisi dissertationis fines et tironis vires transcenderet. Si quis habitum exanthematum externum, vel papulosum, vel pustulosum vel denique vesiculosum pro eorum charactere essentiali habeat; in membranis epidermide et epithelio destitutis et alia, quam quae cuti est, structura praeditis Variolas, Scabiem, Miliariam, cett. quaerendi, inutile studium est; si quis vero exanthematum habitum externum ad earum interiorem naturam nihil facientem censeat, eorum in tunicis mucosis et serosis eruptionem vix jure in dubium vocare poterit. Et revera plurimi observatorum (Reil, Heim, de Haen aliique multi), qui efflorescentiarum internarum mentionem faciunt, non pustulas et vesiculas perfectas, sed earum loco formas papulosas, quales e. g. Variolarum pustulis antecedere solent, vel tantum maculas rubras se vidisse confirmant.

14. Alia exanthemata a sede sua facile, alia vix et ne vix quidem depelli queunt. Fugacissima exanthemata Scarlatina et Erysipelas, minus fugacia reliqua exanthemata acuta apparent. Impetigines multo minus a sede sua semel occupata recedunt, et Scabiem tantum facile ad organa interna reprimi posse, scriptores quidam contra aliorum medicorum observationes contendunt. — Quae

infra (vid. Erysipelas) de majoris minorisve stabilitatis causis diximus, ea plus minus de omnibus exanthematibus valere videntur.

B. DE SEDE MORBORUM EXANTHEMATICORUM IN SPECIE (1).

I. Exanthemata.

Omnes integumentorum corporis communium regiones hic singulis morbis singulae invadi possunt, quamvis eorum loca inferiora, praesertim extremitates inferiores multo minus seriusque infestari soleant. Plurimi quidem eorum, Urticariam si excipias, primum et indole acutissima in superioribus corporis partibus, in facie, trunco et extremitatibus superioribus prorumpunt, nec nisi in decursu vehementiori ad pedes usque pari gravitate procedunt. Modus eorum erumpendi fere semper est successivus, ita ut cum primum conspiciuntur, locum teneant arctis limitibus cinctum, et pluribus demum horis vel diebus praeterlapsis ad vicinas partes progrediantur. Casus in quibus exanthemata omnem ab initio cutis superficiem occuparent, non nisi perraro observantur.

Desquamatio epidermidis, morbos exanthematicos se-

---

(1) Quum, si de omnibus, quae morbis exanthematicis vulgo adnumerantur, affectionibus cutis disserere vellem, longius esset et dissertationis fines excederet, et quum multi morbi cutanei in libris descripti ad morbos exanthematicos minime pertineant, ut e. g. Petechiae, Ephelides: vera tantum exanthemata et impetegines, exceptis maculis, eruptionibus syphiliticis, Ichthyosi, Elephantiasi, Framboesia, in hisce pagellis tractamus.

quens, primum incipit ab iis locis, quae primum affecta sunt. —

Modus exanthematum in cutis superficie procedendi plerumque est continuus, rarius, nec nisi in decursu abnormi modo serpente incedunt. Decursum suum ab initio magno cum nisu denuntiatum, interdum non continuant, sed potius aut immatura aboriuntur, aut a cute subito evanescunt, ne minimum primae praesentiae suae vestigium relinquentes.

I. Erythema.

Erythema paucas plerumque regiones tenet, nec nisi in decursu acutissimo plures et omnino totam cutis superficiem prehendit. Prae ceteris regionibus facies et deinde pectus et membra loca sunt erythemati maxime dilecta.

a) Erythema papulatum Willani sexum praecipue sequiorem juvenesque infestans, et in collo, pectore, brachiis, antibrachii praesertim dorso, et saepissime in dorso manus observatum.

b) Erythema nodosum, Willan. In mento, brachiis et crurum parte anteriore obveniens.

c) Erythema marginatum. Vix unquam hominibus juvenibus, sed potius senum omnibus partibus, praecipue membris, faciei, cuti capitis capillatae adeoque conjunctivae oculi insidians.

Saepenumero res externae, irritatione quadam vim perniciosam in cutem exercentes, inflammationes efficiunt erythematosas, quarum quum a loco irritato nunquam

aberrent, vix memoratu opus est. Huc etiam referendum est Erythema intertrigo auct. in infantibus recens natis et omnino hominibus obesis eas imprimis corporis partes infestans, quae frictionibus multis vexatae et plicis rugisque instructae sunt, e. g. mammas, foveas axillares, plicas inguinum et clunium, regionem umbilicalem; nec non Erythema laeve, exstremitates imprimis inferiores simul cum cutis anasarca tenens.

2. Erysipelas.

Quamvis omnibus corporis regionibus insidietur, faciem tamen, extremitates, praecipue inferiores, crurum partem anteriorem, et secundo demum loco truncum, ejus imprimis dorsum, obsidere solet. In hominibus adultis non nisi perraro pectus et abdomen morbo erysipelatoso correpta sunt. — Erysipelas si prope ad membranas mucosas sedem suam habet, facile in eas transit, et hoc modo ab aure externa aut labiis majoribus pudendi ad auris membranam mucosam et vaginam ad uterum usque pergere solet. Et alia organa interna Erysipelate interdum corripi, jam Hippocrates (1) et Aetius (*ἐρυσιπελας σπλαγχνων*) docuerunt, factumque, multis postea scriptorum dubitationibus vexatum, susceptum est a P. Frankio, qui ad ventriculum, intestina, hepar, vesicam urinariam, ovaria, pulmones, pleuram, pericardium, vasa sanguifera, adeoque cerebri meninges Erysipelas saepe residere affirmat (2).

---

(1) Sect. VI. aphor. 25

(2) „Nullum ergo de interni erysipelatis frequentia dubium superesse potest, licet signa characteristica, quae hanc potius,

Schoenlein (1) variam Erysipelatis sedem et a morborum variis temporibus vario ingressu et a genio epidemico pendere censet, quum quo tempore capitis affectiones morbosae praevalerent, faciei quoque Erysipelas frequentissime observaretur, quo vero tempore genius epidemicus rheumaticus regnaret, corporis imprimis membra laborarent.

Erysipelas a certo loco veluti foco quodam ad alias intugementorum partes proficiscens, aut simul per totum decursum suum locum primo affectum simul conservat, aut eo relicto ad regiones vicinas proserpit. Nullum facile, praeter Scarlatinam, exanthema tam instabili sede conspicuum est, quam hoc nostrum Erysipelas, ita ut levissimum detrimentum a loco primum affecto ad alia depellere valeat. Quod si accidit, Erysipelas aut ab externis partibus ad internas, aut ad regiones cutis remotiores recedit. Recedendi vero proclivitas secundum Schoenleinium (2) ab hisce tribus causis pendet:

1. ab exanthematis varia forma; quo magis plana apparet forma, eo facilius a sede sua depelli, quo vero

---

quam phlegmonosam affectionem ad viscera indicent, nisi ab externo et retropresso erysipelate aut a manifesta interni hujus mali ad externam partem non interrupta continuatione, ex epidemica per sectiones pathologicas confirmata morbi indole, ex cachectica subjecti constitutione ac prona in erysipelas natura, ac demum ex causis inflammationi verae parum faventibus desumatur, adduci non queant." I. P. Frank, Epitome de curandis hom. morbis. Tom. III. —

(1) Allgemeine u. specielle Pathologie und Therapie, nach seinen Vorlesungen. Bd. 2. p. 359.

(2) ibid. p. 338.

magis formam praebet bullosam, eo minus eam relinquere solet.

2. ab aëris majore minoreve calore. Uti Scarlatina, ita et Erysipelas, quo in cute vigere possit, certo eget caloris gradu et evanescit simulac eo privatur. Ceterum Erysipelatis ea forma, quae cum bullis incedit, minore calore contenta esse videtur.

3. a genio epidemico. Erysipelas uti Scarlatina pro variis annis et epidemiis varia valet tenacitate, ita ut hodie nullo modo a cute repellere et post annum praeterlapsum, ceteris omnibus paribus, vix in ea retinere possis. — Quibus quartum adjungere velim momentum ad morbi tenacitatem grave, corporis firmitatem aut debilitatem.

Mirum, nervos sub cute propinquos in Erysipelatis variam sedem interdum vim aliquam exercere, quod quidem luculentissime videre in facie licet, quo loco saepe non nisi in iis locis, quae nervo faciali (?) propinqua sunt, Erysipelas occurrit.

Pro varia sede Erysipelas variam indolem habet.

E r y s i p e l a s f a c i e i, frequentissima species, incipit plerumque ab altera gena, a naso, ab una alterave palpebra, et hinc mox ad alteram genam, itaque sensim super totam faciem procedit. Hic saepe faciei latere circumscribitur, interdum etiam parvam tantum regionem, nasi e. g., obsidet. Erysipelas aut per totum decursum faciem non transgreditur, aut alias pedetentim corporis plagas adoritur, idque eo quidem modo fieri solet, ut a facie primum ad capitis cutem capillatam, hinc ad cervicem, acromia, et postremo ad reliquum truncum pergat.

Casum, in quo Erysipelas totum vetulae cujusdam corpus occupabat, Renauldin publici juris fecit.

Scriptores de morbis cutaneis causam quaerentes, qua fieret, ut inflammationes erysipelatosae adeo frequentes faciei superficiem sedem sibi eligerent, magnae vasorum capillarium copiae in facie eam tribuerunt; ast perperam; nam recte monet Rayer (1), alias corporis partes, e. g. glandem penis, labia pudendi majora, cett, quamvis haud paucioribus vasis refertae sint, tamen non nisi perraro his inflammationibus esse obnoxias, et morbi in facie frequentiam ab aliis igitur causis repetendam esse.

Erysipelas capillatae cutis, nisi illud faciei sequitur, fere semper phlegmonosum existit et a laesionibus externis oriundum. — Erysipelas mammarum, utramque saepe mammam occupans, pseudoerysipelatis characteres prae se fert, et memoratu dignum est, gangraenam insequentem nunquam papillae mamillari detrimentum inferre. — Erysipelas regionis umbilicalis (E. neonatorum) prope umbilicum incipiens, hinc super abdomen usque ad partes genitales procedit, immo abdominis fines transgreditur, sed semper deorsum a partibus genitalibus femora versus tendit, nec fere unquam sursum deflectens, pectus adtingit. — Erysipelas extremitatum, antibrachia plerumque et crura invadit et phlegmonosae indolis est.

3. Scarlatina,

si normali incedit decursu, fere omnem corporis ambi-

(1) Rayer, Traité théorique et pratique des maladies de la peau, Paris 1835. Tom. I. p. 21.

tum tenere solet, oriturque primum a collo et facie punctis rubris numerosissimis post nychthemerum totam corporis superficiem occupantibus et in maculas parvas confluentibus. Tertio die inde ab initio morbi efflorescentiae continuae speciem offert in extremitatibus et in digitis praesertim apparentem, eodemque tempore in manibus, pectore, extremitatibus eminentiae papulosae conspiciuntur. Exanthema raro totam corporis circumferentiam ambiens, maculis magnis irregularibus dispersum, in articulorum flexione et in lumbis colorem coccineum praebet.

Rubor cutis inflammatorius et membranas mucosas vicinas cavi oris, faucium, narium, tunicam conjunctivam oculi, vaginam infestat. Utrum in reliquis quoque membranis mucosis et adeo serosis residere possit, quamvis verisimillimum sit, nondum tamen observationibus sat numerosis constat (1).

Haud raro normalem illum Scarlatinae decursum desideras, ut e. g. in Scarlatina anginosa; tunc exanthematis eruptio minus constanter super totum corpus extensa, sed potius maculis circumscriptis in dorso, lumbis, collo, pectore et extremitatibus, et fere semper in carpo manus conspicitur. Accidit quoque interdum, ut exanthema in cute plane desideretur, quo in casu secundum Heimium (2) angina vehementior exstat. — Nonnisi per exceptionem Scarlatinae eruptio prima fit in extremitatibus, et tunc demum in collo et facie.

---

(1) cf. Jahn, Beiträge zur Erforschung der Scharlachkrankheit. etc. in Hufel. Journ. Jahrg. 1829. St. 6.

(2) Bemerkungen über die Verschiedenheit des Scharlachs, der Rötheln und Masern etc. in: Hufel. Journ. Jahrg. 1812. St. 3. p. 60.

Quae supra de Erysipelatis cutis primo affectam partem relinquendi et in aliis partibus prorumpendi proclivitate diximus, haec de Scarlatina quoque valent. Scarlatina igitur, quam vocant, miliaria, vesiculis parvis in maculis rubris conspicua, sede gaudet stabiliore, quam Scarlatina sic dicta laevigata.

4. Rubeola,

quam Willan Roseolam et Incrassias Rosaliam vocat, Morbillos inter et Scarlatinam locum tenet, ab utroque hoc exanthemate characteres quosdam porrigens, et ab his morbis quoad sedem eo distincta, quod modus Rubeolae singulas corporis partes invadendi prorsus sit contrarius. Morbilli quidem et Scarlatina dum primo faciem, hinc truncum et extremitates aggrediuntur, Rubeola v. v. ab extremitatibus primam originem ducens, in facie et trunco desinit. A Scarlatina eo quoque differt Rubeola, quod ejus eruptio majori polleat sedis suae constantia. Caeterum Rubeola sicuti Scarlatina haud raro paucas tantum cutis regiones tenet, adeoque interdum sine exanthemate decurrit.

5. Morbilli.

Die quarto post morbi invasionem, rarius die demum quinto maculae primum in facie apparent frontem praecipue et mentum, tum nasum, genas regionemque oris vicinam tenentes. Vespere ejusdem diei aut mane sequentis in collo et pectore conspiciuntur; et vespere secundi post eruptionem diei ad truncum ejusque inprimis dorsum progredientes, extremitates postremo tegunt. A sexto inde aegrotationis die faciei rubor, accrescens adhuc in

aliis partibus, decrescit, et exanthema eodem, quo oriebatur, ordine evanescit. Nonnunquam die post invasionem quarto et uvulam velumque palatinum maculis parvis rubris fulgentia vides. — Lieutaud in hominibus, qui Morbillis perierunt, oesophagum, tracheam, pectoris abdominisque viscera Morbillorum maculis obsita se vidisse affirmat (?). — Secundum eas, quas Wedekind divulgavit, observationes, quaevis macula in eo tantum cutis loco invenitur, quo pilus locum tenet.

Hic normalis Morbillorum decursus. Accidit quoque, ut eruptio arctioribus finibus inclusa, non nisi collum et humeros occupet, dum in membris ne unicam maculam invenis (Rougeole sans éruption), aut, quum primum maculae in facie adessent, jam statim in brachiis appareant, aut denique maculae primum pectus obsidentes, serius demum caput invadant. Saepe fit, ut normali Morbillorum decursu, vi perniciosa vel immodico remediorum alvum levantium usu, interrupto, exanthema in cute subito evanescat.

Morbillorum eruptionem si impetiginum aliqua species in cute antecedit, fieri plerumque solet, ut Morbilli vim hostilem in eam exerceant, ita quidem, ut, Morbillis in cute apparentibus, morbus ille chronicus fugatus in cute evanescat. Sic Rayer Eczema chronicum faciei, nec non Alibert Eczema impetegmodes, Morbillorum eruptione facta, evanescere viderunt. De Morbillis unius tantum lateris vid. infra Variolas.

6. Urticaria.

Prout Urticaria decursum aut chronicum aut acutum offert, minorem majoremque corporis superficiem

occupare solet. Urticaria acuta prae ceteris regionem acromialem, lumbalem, antibrachii superficiem internam, femora et genua sedem sibi eligit. Urticaria chronica aut Urticariae evanidae speciem praebet, aut tuberosae, quarum illa unicum saepe plagam, haec potissimum lumbas, membra adeoque omnem corporis ambitum corripit.

II. Vesiculae.

Nulla facile cutis superficiei pars est, quin cujusque generis eruptioni vesiculosae sedem praebere possit; num Scabies faciem quoque occupare possit, nec ne, observationibus satis stabilitis nondum extra omnem dubitationem positum est. Singuli morbi vesiculosi aut variis temporibus varias cutis regiones, aut simul omnes invadunt. Sic morbi hujus classis indole acuta insignes, uti Eczema acutum, Miliaria, Varicella magnum plerumque campum et saepe omnem cutis ambitum tenent, dum aliae omnes eruptiones vesiculosae spatiis magis minusve exiguis, immo unico saepe loco (Herpes) circumscribuntur.

1. Herpes.

Vix unquam eodem tempore totam corporis superficiem obsidet, licet subinde peragrare eam possit. Inter singulas Herpetis species ea, quam H. phlyctaenoden vocant, maximum ambitum adtingere solet, truncum pedetentim et extremitates, locis quibusdam liberis relictis, infestans; secundo loco Herpes Zoster maxima se extendendi facultate gaudet, et minimum tandem ambitum Herpes circinatus et Iris tenere solet. Quod ad cutis regionem huic morbi generi inprimis dilectam attinet,

superiorem corporis partem, inferiore magis obnoxiam esse his eruptionibus constat.

a) Herpes phlyctaenodes. Minime haec species sede constante utitur, nunc enim frontem, genas, collum, pectus, membra et digitorum ungues unice circumsidens, alio tempore a collo vel mammis super truncum et extremitates inferiores, singulis continuo vesicularum turmis prorumpentibus, protinus tendit. Corporis partes superiores, genae, collum, pectus et brachia loca sunt morbo imprimis grata.

Herpetis phlyctaenodis, quae sequuntur, ambae varietates sede sua peculiari sunt conspicuae.

α) Herpes labialis eum saepissime labii alterius utrius locum infestat, quo cutis externa cum membrana mucosa oris confluit, nec nisi in casibus rarissimis hanc conjunctionem citra ultrave nidulatur. Parvam plerumque labii partem tenet, interdum vero vesicularum corymbis irregularibus ad genam, mentum alasque nasi, annuli irregularis os circumdantis instar, transmigrat et pharyngis adeo loca recondita adit. — Utrum labium morbo saepissime correptum sit, vix accuratis observationibus constat.

β) Herpes praeputialis. Uti H. labialis, ita et haec varietas magna valet sedis constantia, nec unquam aut saltem rarissime praeputio relicto, in posteriorem membri virilis cutem aberrat. Praeputii vero laminam aut externam aut internam, rarius utramque eodem tempore occupat, facileque est intellectu, Herpetem internam laminam obsidentem, majore cum inflammatione incedere.

Vesiculas herpetosas, huic varietati simillimas, palpebram interdum superiorem (Herpes palpebralis), aurem

externam in otitide (H. auricularis), labia majora pudendi in foeminis gravidis vel fluore albo laborantibus occupantes conspici licet.

b) Herpes Zoster. Nullum certe aliud exanthema, quod ad sedem sibi eligendam attinet tam peculiari, ut ita dicam libidinosa indole excellit, quam de quo nunc verba facturi sumus, ignis sacer Antonii. Quod vero maxime perplexum in eo est, omnique tempore medicis mirum videbatur, et Zonae, Semizonae, Semicinguli nomen morbo conciliavit, illa est indoles, unum tantum corporis latus obsidendi. Multum de hac re disputatum nec ad hunc usque diem quaestiones absolutae. Dum quidem de Haen (1), Geoffroy (2), Burserius (3), Wichmann (4), J. P. Frank (5), Marcus (6), Reil (7), Alibert (8), Rayer (9) aliique multi zonam utrumque corporis latus (dextrum et sinistrum) nunquam cingentem viderunt: Tulpius (10), Adolph (11), Brechtfeld (12), Turner (13), Rus-

---

(1) De divisione febrium. p. 112.

(2) Hist. de la soc. roy. de med. 1777.

(3) Instit. med. pract. Vol. II.

(4) Ideen zur Diagnostik. Bd. 1.

(5) Epitom. de cur. hom. morb. Lib. III. p. 44.

(6) Entwurf einer speciellen Therapie. t. 11.

(7) Erkenntniss und Cur der Fieber. T. V.

(8) Description des maladies de la peau. Paris 1806.

(9) Traité théorique et pratique des maladies de la peau. Edit. II. Tom. 1. p. 334.

(10) Observ. med. lib. III. cap. 44.

(11) Act. nat. cur. Vol. X. obs. 9.

(12) Th. Bartolini acta. Hafn. 1671 u. 72. obs 198.

(13) Diseas. of the Skin, chap. V. p. 80.

sel (1), Montault (2), Thomson (3) zonam lineam intermediam corporis magis minusve transcendentem se vidisse asseverant. Sed plurimis his observationibus diffidere licet, quum zonam genuinam cum aliis eruptionibus, Erysipelate e. c. bulloso, Herpete phlyctaenode, cett. commutatam esse, accuratiorem quaestionem vix fugiat. Nam qui ab Adolpho sub zonae nomine descriptus est morbus, secundum Mehlisium (4) nihil aliud est, nisi Erysipelas bullosum fascia pulmari corpus cingens, inque eundem diagnosis errorem quin et Brechtfeld et Turner inciderint haud dubium est. Tulpius aliique zonam totum corporis ambitum occupare posse concedentes, Plinii (5) sequuntur verba, plura quidem ignis sacri genera esse, quorum illud totum corpus ambiens Zoster appelletur et enecet, si vinxerit. Sed ex eo, quod Plinius ignis sacri ad annuli integri instar corpus cingentis eruptionem letalem credebat, zonae hanc formam Plinii temporibus vel rarissime inventam esse, vel prorsus non exstitisse, argumentari consentaneum videtur.

Ex his, etiamsi non plane elucet, zonam in utroque corporis latere eodem tempore observatam non verum fuisse nostrum morbum, hoc tamen pro certo habeamus, zonam corpus cingentem non nisi perraro occurrere et revera morbum uni tantum corporis lateri peculiarem esse.

---

(1) De tabe glandulari hist. 33.

(2) Rayer l. c.

(3) Bateman, pract. Darstellung d. Hautkrankh. nach Willans Syst. Aus d. Engl. p. 275.

(4) Commentatio de morbis hominis dextri et sinistri. p.

(5) Nat. Histor. L. XXVI. cap. II.

Alia, de qua sententiae plane sibi oppositae jactatae sunt, quaestio, utrum quidem corporis latus a zona saepius infestetur, nondum est absoluta. Reil (1) zonam fere semper in sinistro latere se observasse contendit, itemque Mehlis (2) inter 25 zonae casus novies in dextro latere morbum invenit. Quibus observationibus contrariae sunt eae a Cazenavio et Schedelio (3) nobis traditae, secundum quas e casibus viginti, zona dextrum latus undevicies occupabat; et Rayer (4) inter casus 53, tricies septies in eodem latere zonam vidit. Quo ex calculo elucet, non nisi casibus pluribus comparatis de hac quaestione certi aliquid nos assecuturos esse.

Quod denique ad locum dextri sinistrive lateris Herpete zona praecipue affectum adtinet, omnes quidem corporis partes a vertice ad calcem usque, caput, collum (zona collaris), thoracem (zona pectoris), abdomen (z. abdominalis), et extremitates affectas viderunt rei medicae periti, sed inter eos constat, zonam singulis aetatis temporibus in singulis hominibus singulas corporis regiones prae ceteris sedem sibi eligere, ita quidem, ut Schoenleinio (5) teste, in hominibus ante pubertatem zona laborantibus collum, in juvenibus aetate jamjam provectioribus regiones thoracicas, in senibus denique abdominis regiones zostere imprimis obsessas videamus. Ceterum trunci mediam partem longe frequentissime inter omnes corporis regiones zona laborare

(1) l. c. p. 395.
(2) l. c.
(3) Pract. Darstellung der Hautkrkh. a. d. Franz. etc. p. 101.
(4) l. c.
(5) l. c. p. 397.

constat, multo rarius membra, collum et caput; Rayer (1) adeo penis, scroti marginisque ani alterum latus zona occupatum vidit. De zona quadam totius lateris Marcus (2) tantum uno casu adjecto mentionem facit. —

Zona capitis aut faciei, aut rarius cutis capillatae alterum latus tenet, et de Haen (3) quidem alteram palpebram et genam, Frank (4) auris sinistrae partem posteriorem simul cum genae nasique eodem latere affectas viderunt, saepiusque accidit, ut inflammatio ad membranae mucosae oris alterum latus proficiscatur. In casu quodam a Rayero observato exanthematis eruptio sinistrum frontis et capillati capitis latus usque ad suturam sagittalem transcendit. — Zonam collarem J. Frank (5) et Wichmann (6) a media laryngis regione ad mediam cervicem extensam observarunt. — Zona extremitatum aut sola adest, quod quidem rarius fit, aut simul cum zona aliarum partium. Sic e. g. Jos. Frank (7) antibrachii partem superiorem ad armillae dimidiae instar et alio in casu (8) cruris dimidium partem, nec non Burserius (9) brachia et femora zona correpta viderunt. Secundum Schoenleinium (10)

---

(1) l. c.
(2) T. 11. p. 213.
(3) l. c. 74. Zugabe.
(4) l. c. tom. I. p. 237.
(5) Prax. med. univ. praec. P. 7. vol. 2. §. 11.
(6) Ideen zur Diagnostik. Bd. I. p. 70.
(7) l. c.
(8) Acta institut. clin. Vilnens. T. III. p. 22.
(9) l. c. Vol. II. 1. 41.
(10) l. c. p. 396.

zoster brachialis zostere extremitatum inferiorum frequentior est. — Zona trunci, aut pectoralis aut abdominalis speciem praebens, et a posteriore, superiore trunci parte ad anteriorem, inferiorem decurrens, semicinguli obliqui formam constituit maculisque interdum in utroque cinguli fine majoribus conspicua est. — Zona a trunco oriunda nonnunquam terminatur in extremitatibus, certa quadam et stabili via incedens. Quodsi enim a superiore dorsi regione principium ducit, ad posteriorem primum, hinc ad anteriorem humerorum partem pergit et internum postremo brachii latus adoriens, fasciae forma ad carpi usque marginem ulnarem descendit. Tale quoddam a sterno super thoracis sinistrum latus ad dorsum proficiscens, totamque scapulam simul cum humeri parte superiore tegens zonae exemplum a Geunsio (1), atque ad brachii latus anterius decurrens a Reilio (2) observatum est. Quodsi vero a posteriore et inferiore regione lumbali incepit eruptio, ad externam et anteriorem regionem iliacam, hinc a regione inguinali ad femoris superficiem internam, uti Geuns (3), adeoque denique ad genu, uti Platner (4) vidit, obliqua directione migrare solet. —

Zona ab eodem loco incipiens et duplici via sursum versus brachium, deorsum versus extremitatem inferiorem extensa, non nisi perraro observatur. — Mirum, zonam, quo altiorem teneat corporis plagam, eo minori vesicularum ambitu distinctam esse, ita quidem, ut in zona

---

(1) Du Pui, Diss. de homine dextro et sinistro. p. 23.

(2) l. c. d. 395.

(3) l. c. p. 24.

(4) Instit. chirurg. rat. §. 166.

abdominali maximam, in zona pectorali minorem, et in zona denique collari et brachiali minimam adtingant magnitudinem (1).

Qua quidem formae sedisque peculiari ratione zonam, quo loco eam invenias, ab aliis eruptionibus facili negotio internosces; nam Herpes phlyctaenodes, cui maxima cum zona similitudo est, eo, quod vesicularum ejus turmae plures semper eodem tempore regiones, cervicem, regionem parotideam, thoracis latera, foveas axillares, regionem ad partes genitales sitam, cett. occupent, nec unquam semicinguli speciem offerant, a zona valde discrepat.

Jamjam causam quaerentes, qua fiat, ut Herpes zoster idem semper corporis latus sedem sibi eligat, ingeniosam invenimus conjecturam de hac re a Mehlisio(2) propositam. »Ex ardore, dolore, fugacium punctionum sensu, qui in cutis parte affecta aliquibus diebus eruptionem ejus praecedunt, e doloribus saevis deinde et aestubus vix tolerandis, quantos in nulla cutis efflorescentia deprehendimus et qui ignis sacri nomen intulerunt, per eruptionum totumque exanthematis decursum aegrotos excruciantibus, e gangraena etiam haud raro exulcerantibus partibus superveniente« clare demonstrari posse sibi persuadet Mehlis, quantopere in hoc prae ceteris omnibus exanthematibus »cutis nervosae partes« aegrotent, quantam totius affectus partem nervi suscipiant. Huc, secundum Mehlisium, accedit, ut nervorum morbi ni omnino generalis affectio ad eorum naturam pertineat, quam saepissime alterum modo latus affliget, omniaque

(1) Schoenlein, l. c. p. 396.
(2) l. c. p. 64.

symptomata, quae ex solorum nervorum affectu fluant, ni utrumque latus simul aegrotet, medium corpus nunquam transeant. Ex quibus colligit, »nervorum dimidiatam dispositionem« esse, quae dimidiatam zosteris apparitionem efficiat. Si ab alio latere ad alterum paululum transcendit zona, per vasorum utriusque lateris anastomosin id fieri opinatur Mehlis.

Quod ad causam adtinet, cur zonae truncum prae ceteris corporis regionibus obsidendi tantum studium insit, de ea quoque idem auctor rationem reddidit. »Notum enim est«, ita argumentatur, »organorum internorum processus vitalis residua e corpore educentium uti hepatis, lienis, renum, pulmonum turbatae actioni magnam potentiam esse in provocandos morbos cutaneos. In zona autem praesertim viscerum vitia quam maxime respicienda esse eo convincimur, quod non junior aetas (1), qua vegetatio maxime floret, ei imprimis obnoxia est, sed provectioris aetatis plerumque aegroti sunt, iique dudum cachectici et in quibus nunquam fere non prava quaedam humorum temperies major minorve praecessit.« Jam vero »sympathicus nervus vinculum est, quod cutem cum illis visceribus connectit intimamque eorum conspirationem ad unum magnum finem servat et per eum in zona ab illorum vitio nervis cutis morbus inferri videtur. Sympathicus autem cum intercostalibus prae reliquis nervis systematis cerebralis, qui cutem adeunt, intime connexus est, unde esse putes, quod zona truncum fere semper inva-

(1) Cui assertioni contradicit Schoenlein (l. c. p. 397); nec non Bateman 12 ad 15 annos natos adolescentes prae ceteris zonae obnoxios esse affirmat, dum e contrario Geuns, Reil (l. c.) aliique Mehlisio assentiunt.

dat, raro admodum hoc intacto omnino alias partes occupet. Nervorum intercostalium deinde et lumbarium superiorum decursus et dispersio in cutem rationem suppeditat, cur zosteris pustularum insulae tantum non semper eo ordine circa thoracem vel abdomen dispositae sint, ut fasciam referant, saepe integro cingulo dimidium truncum circumdent: exacte enim zona nervos illos a spina ad sternum et lineam albam progredientes legere videtur. Nec non ex transitu affectus a nervo sympathico ad intercostales fluere videtur, cur prius ut plurimum dorsum versus quam prope lineam albam pustularum corymbi erumpant.«

c) Herpes circinatus. Collum et facies in puellis junioribus cute tenera praeditis territorium est huic varietati prae ceteris gratum, et in facie quidem unam alteramve genam, aut mentum annulis parvis herpeticis obtegit. Sed lacertos quoqne, regionem acromialem et pectus adeoque reliquas partes cutis, e. g. extremitatum inferiorum, singulis casibus singulas occupare potest.

d) Herpes Iris. Uti H. circinatus ita et Iris omnes corporis regiones adire potest; attamen partes maxime prominentes, e. g. olecranon, malleoli, rarius dorsum manus et pedis prae ceteris sedem eligit. Saepe etiam facies, collum, vola manus digitique morbo correpta inveniuntur.

2. Scabies,

quamvis praeter faciem vix una existat cutis universae regio, quam vesiculis suis sive variis temporibus sive eodem tempore aut singulis eruptionibus aut eadem continuo efflorescentia obruere non possit, aliae tamen re-

giones prae aliis morbo scabioso infestantur et focos quasi constituunt, unde vesicularum greges taediosos quoquoversus emittere soleat. Territorium autem Scabiei coloniis inprimis gratum cutis prope articulos, ad manus carpum et digitorum interstitia extensa est, tum, secundo ordine, brachii et antibrachii facies interna abdominisque latus anterius et omnino corporis superficies anterior (flexioni ejus respondens); raro, ut Bateman affirmat, crena analis morbo afficitur. Scabies utrum quo que faciem invadat, nec ne, quaestio est omnibus fere temporibus agitata multisque ad hodiernum usque diem dubiis pressa. Scriptores de Scabie auctoritate praestantiores, faciem, omnibus adeo reliquis cutis regionibus affectis, a Scabie semper liberam remanere contendunt, idque Lieutaudo(1) vel signum pathognomonicum visum est. Cazenave et Schedel (2) nec non Rayer(3) e casibus plus mille Scabiem in facie nunquam se observasse asseverant, dum alii medici, se Scabiem pustulosam hoc loco vidisse, et Thomson (4), in libero quodam faciei latus prope ad aurem tenuisse eam dicunt; sed verisimile est, Scabiei pustulas cum aliis cutis efflorescentiis cutaneis faciem eodem illo tempore occupantibus, commutatas esse, quod quidem eo facilius fieri potuit, quo difficilius saepe Scabies ab aliis morbis eruptivis discernatur. Ipse in instituto policlinico, quod Berolini liberorum aegrotorum curae dicatum est, non semel

---

(1) Synops. prax. med. p. 1. pag. 224.

(2) l. c. p. 140.

(3) l. c.

(4) Bateman l. c. p. 235.

Scabiem genuinam in membris et trunco observavi, exstante eodem tempore in faciei latere et auribus alio morbo vesiculoso vel pustuloso, cui eximia cum Scabie similitudo erat; saepiusque adeo aegrotus de morbi decursu interrogatus, pustulas primum extremitatum modo articulos, nunc vero super truncum ad faciem adeo ascendisse confirmabat; quaesitus vero, num pruritum uti in articulis ita etiam in facie sentiret, semper negabat. Jam vero pruritus ille Scabiei genuinae momentum diagnosticum est, itaque ex ejus absentia, vel ceteris omnibus paribus, non scabiosae indolis fuisse illas faciei pustulas colligere haud absonum videtur (1).

Scabiem alterum tantum corporis latus pustulis et ulceribus tenentem, altero salvo, Pechlin (2) pluries observavit. Itemque Fr. Hoffmann (med. rat. syst. T. IV. P. IV. cap. 1. obs. 8. apecr. p. 511.) de Scabie unum corporis latus tenente loquitur, dum aliud latus hemiplegia laborabat.

Et partes corporis internas, tractum intestinorum, lienis, hepatis et pulmonum superficiem, pericardium, mesenterium, peritonaeum pustulis parvis milii granis similibus obsessas vidisse Autenrieth (3) contendit, quae

---

(1) Si scabiem faciem aggredi posse, negavi, non tamen eam in facie omnino erumpere non posse, contendo; cui enim obstat ophthalmia psorica, in Polonia et Lithavia praesertim observata eoque distincta, quod pustulae scabiosae palpebrarum superficiem externam obsident: sed hoc tantum dubitare velim, scabiem sine contagii ad faciem translatione locali (quod in ophthalmia ista fieri constat) ad eam sua sponte transmigrare posse.

(2) Observ. phys. med. Lib. II. obs. 52. p. 342.

(3) Versuche für die prakt. Heilkunde. 1 Bd. 2 Heft.

vero observatio magna adhuc in dubitatione versatur, quamvis et hodie medici quidam eam denuo suscepissent, et adeo Jahn (1) papulas in Napoleonis peritonaeo inventas Scabiei internae vestigia declarare non haesitet.—

Scabiei primae vesiculae post factam contagionem in iis corporis regionibus primum apparent, quae refertae sunt vasis lymphaticis et cute tenera insignes, ut e. g. digitorum interstitia, plicae ulnares, cett. Quod si contagium infertur hominibus, quorum manus epidermide crassa, callosa instructae exstant, e. g. fabris ferrariis, infectoribus cett., contagio nimirum et morbi eruptio ibi difficilius fieri potest, digitique et carpi fere semper a morbo liberi remanent, dum e contrario in hominibus, quorum negotia epidermidis teneritati damnum non inferunt, e. g. sartoribus feminisque acu opus facientibus labes scabiosa illas partes prae aliis sedem sibi eligit. Id vero non obliviscendum videtur in hoc modo prolata scabiei indole, pro vario hominum negotio faciliore aut difficiliore aditu ad corporis varias partes adjuvari, quippe quae etiam causa esse solet, cur palaestrae magistri (2), si Scabie adoriuntur, dextra plerumque manu primum laborent.

Saepius Scabies ejusque inprimis ea varietas, quam Willan Scabiem papuliformem denominavit, cum aliis efflorescentiis, Prurigine e. g. commutatur; sed scabiosa eruptio a Prurigine eo valde differt, quod ejus vesiculae, si normali decursu incedunt, articulis et iis inprimis partibus detrimentum inferunt, qui flexoribus musculis re-

(1) Medicin. Conversationsblatt herausgegeb. von Hohnbaum u. Jahn. Bd. 1. No. 5.

(2) cf. Cazenave et Schedel l. c. p. 111.

spondent, quum e contrario Pruriginis papulae regionem potius acromialem posteriorem et extremitatum dorsum occupare soleant. Idemque etiam inter Scabiem et Lichenem intercedit discrimen.

Pro constitutionis cujusque hominis varia conditione Scabies varium praebet et ambitum et formam, cujus respectu habito Willan plures morbi varietates descripsit, quarum prima (Sc. papuliformis) tertia (S. purulenta) et quarta (Sc. cachectica) omnes regiones supra descriptos invadere possunt, dum varietas secunda (Sc. lymphatica) pectori et epigastrio plerumque, regioni lumbali et brachiorum parti superiori semper parcit.

3. Eczema.

Licet eodem tempore permagnam saepe cutis superficiem aggrediatur Eczema, nulla tamen apud auctores exstat observatio, qua volam manus plantamve pedis a morbo genuino occupatam fuisse, demonstratum esset. Pro ejus vario charactere, utrum quidem modo acuto an chronico appareat, majori minorive se extendendi facultate pollet. Eczema acutum (1) ampliorem plerumque campum tenet, immo totum fere integumentorum communium ambitum simul corripere potest, dum e contrario Eczema chronicum loca tenet magis minusve circumscripta.

---

(1) Disserimus videlicet non nisi de Eczemate acuto et chronico. Eczema acutum secundum Biettium triplicem offert varietatem, Eczema quidem acutum simplex, Eczema a. rubrum et E. a. impetiginodes. De Eczemate a. rubro vid. infra: Hydrargyria. De Eczemate impetiginode vid. infra Impetigo.

(2) Eczema chronicum aut consecutivum est, acutum quidem sequens, aut primitivum; de hoc secundo nimirum tantummodo quaestio est.

Habitat plerumque in capitis cute capillata, in facie, mammis, femorum superficie interna, foveis axillaribus, plicis cubitalibus, poplitibus, inguine, scroto, praeputio, pudendo muliebri, margine ani, regione umbilicali et omnino extremitatum tam superiorum quam inferiorum superficie dorsali.

Eczema magno ambitu conspicuum aut eodem tempore, aut eruptionibus singulis continuo apparentibus ingressu serpente omnem superficiem corporis pedetentim adoritur, memoratuque dignum est, Eczema prope ad membranas mucosas oriundum, in eas facillime transire, ita quidem, nt Eczema faciei ad oris, nasi aurisve membranam mucosam, Eczema ad partes genitales feminarum erumpens ad vaginam, Eczema denique ani circumferentiam incolens ad intestini recti membranam mucosam transmigret.

Scire interest, Eczema pro vario hominum aetate varia etiam sede insigne esse. Eczema enim hominem prima aetate infantili infestans, capitis praesertim varias regiones, Eczema aetati virili superveniens, pectus, Eczema denique senes invadens, extremitates praecipue inferiores marginemque ani occupat.

Eczema cutis capitis capillatae (Porrigo larvatis, Willan, Teigne muqueuse Alibert) aut super totam cutem capillatam aut ejus aliquam partem extensum est. Quodsi primum accidit, tempora, frontem; hinc faciem, cervicem et regionem acromialem adire, aut a loco primum affecto ad aures, supercilia usque ad marginem palpebrarum liberum transire ibique cum ciliorum defluvio et conjunctivae glandularumque marginem ciliarem obsidentium inflammatione conjunctum esse solet —

Eczema faciei (Crusta lactea auct. vet.) genis plerumque, mento et fronti insidens, hinc super totam faciei superficiem procedit et marginibus ciliaribus, oris membranae mucosae, cavo narium, tunicae conjunctivae oculi detrimentum infert. Interdum Eczema faciei oris ambitum vesiculis cingit. — Eczema auris externae in utroque sexu et quavis aetate aut simul cum E. capitis capillati et faciei, aut solitarium exstat. — Eczema chronicum mammarum arctis plerumque finibus circumscriptum, modo sat regulari papillas mammarum circumdat, et ab alia ad alteram usque mammam interdum extensum est. Rayer (1) se hanc Eczematis speciem nunquam in maribus invenisse et vesicularum greges in hoc loco omnino multo rarius, quam in facie et auribus observari asseverat. — Eczema femorum superficiem internam, partes utriusque sexus genitales et ani circumferentiam incolens, fere semper homines adultos adoritur, et harum partium aut alterutram unice tenet, ad reliquas deinceps progrediens, aut simul omnes, aut per totum denique decursum suum una tantum regione includitur. — Eczema, si brachia aut femora adit, haud raro ad manus pedesque transgreditur, dorsumque imprimis, carpi et tarsi partem anteriorem, digitorum interstitia sedem sibi eligit. — Et plicas cubitales, poplites foveasque axillares solas a morbo nostro correptas vides. Foveae axillares omnium corporis regionum rarissimae Eczemate tenentur et plerumque Eczema, quod vocant, impetiginodes ibi invenitur.

---

(1) l. c.

Quod ad sedem morbi specialem adtinet, verisimile est, folliculos sebaceos in Eczemate praecipue affectos esse, quod quidem ex his colligere licet:

1) Eczema neque in volo manus plantave pedis unquam inventum est, neque exstat observatio fide digna, qua cutem olecrani et patellae morbo correptam fuisse confirmaretur. Jam vero disquisitionibus anatomicis innotuit, folliculos sebaceos in his locis aut prorsus abesse, aut saltem nondum esse inventos (1).

2) Regiones morbo inprimis dilectae folliculis etiam maxime conspicuis instructae sunt.

3) Cutis capitis capillata aetate puerili pluribus (?) majoribusque folliculis est instructa, quam aetate senili; itemque in senibus huncce locum raro vel prorsus nunquam, in infantibus saepissime Eczemate laborantem vides; idem valet de faciei Eczemate.

4) Ad aures, mammas, anum, scrotum, vulvam folliculi ad senium usque manifesti remanent, dum in aliis cutis regionibus iterum involvuntur: at hae ipsae partes aetate provectiore Eczemati sunt prae ceteris gratae. — Facile intelligis, has rationes ad conjecturam de Eczematis sede peculiari stabiliendam, minime sufficere, sed observationibus directis ad eam confirmandam opus esse.

Utrum res externae cutem vehementer irritantes, ut e. g. cutis per saponem, per aërem asperum, lacrymas, mucum e naribus profluentem irritationes (quas saltem Joerg (2) crustae lacteae momenta occasionalia laudat),

---

(1) Hildebrandt, Handbuch der Anatomie des Menschen, von E. H. Weber. 4te Ausgabe. Bd. I. p. 203.

(2) Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankh. p. 334.

exstante corporis ad morbum praedispositione, in eum proferendum vim exerceant, nec ne, nondum est ultra omnem dubii controversiam positum.

Cutis efflorescentiae locales, Eczemati magis minusve affines, irritatione quadam externa e. g. solis radiis ardentibus (Eczema solare Willani), emplastris irritantibus, succo acri Euphorbiacearum quarundam, oleo Crotonis Tiglii productae, quoad sedem suam a loco irritato omnino dependent. Sed exstant substantiae quaedam, quae aut cuti infrictae, aut usu interno sanguini admixtae, pari modo, ac Tartarus stibiatus (vid. infra Antimonia), exanthema efficere possunt, Hydrargyri dico varia praeparata pharmaceutica. Quodsi enim per cutem applicantur, saepius accidit, ut non solum in loco irritato, sed alibi etiam exanthema illud vesiculosum (Hydrargyria) erumpat; itemque usu Hydrargyri interno in cutis variis regionibus, in femorum plerumque facie interna superiore, in scroto, inguine, abdominis parte inferiore, nec nisi in casibus rarissimis per totam cutis superficiem apparet. Rayer casus cujusdam mentionem facit, quo morbus a facie, quae plerumque postremo infestatur, originem duxit.

4. Miliaria.

Exanthema, stadium irritationis morbi sequens, primum prorumpit in collo, pectore, regionibus clavicularibus, apud foeminas sub mammis, hinc in toto trunci dorso. Secundum Schoenleinium (1) et alia adhuc

---

(1) l. c. p. 321.

cruptionis ratio observatur. Si quidem Miliaria puerperas adoritur, primum in abdominis superficie, ad partes genitales et femora oriri et Miliariae albae speciem prae se ferre dicit, quum in pectore primum apparens, formam Miliariae rubrae praeberet. Quae quomodo se habeant, exanthema hinc fere semper super cutis majorem superficiem, immo, vola manus plantaque pedis exceptis, super totum corpus se extendit. Extremitatum plurimae vesiculae superficiem internam obsidere solent. Scriptores Miliariam non nisi in iis locis prorumpere, quae vestimentis vel stragulis obtectae, nimioque calori expositae essent, contenderunt, et Bateman extremitates et faciem minori vesicularum numero, quam aliae cutis regiones, obsessas inveniri asseverat. Quibus contradicit Schoenlein affirmans, faciem quoque pari vesicularum copia, corripi. — Miliariae eruptio cum non uno tenore eodemque tempore, sed per insultos interrupte sequentes procedat; vesiculas simul hic illic vario modo evolutas vides. — Eodem ordine, quo exanthema effloruit, fit epidermidis desquamatio.

Miliaria homines aggrediens hemiplegia laborantes, testibus Fr. Hoffmanno (1) et Allionio (2), in latere aegroto majori vesicularum numero conspicua est.

Et oris universa cavitas, trachea cum bronchiis (Vogel), hepatis et intestini tenuis tunica serosa (Eller), pleura (Bichat, Abercromby, Laennec, Baron, Louis, alii) vesiculis miliaribus interdum infestari feruntur.

---

(1) Ej. consult. et resp. med. P. 1. S. 1. cas. 20. p. 91. — cas. 24. p. 125.

(2) Tract. de miliar. orig. et progr. p. 66.

Hanc Miliariam genuinam cave ne cum aliis eruptionibus vesiculosis, varios morbos comitantibus variasque cutis regiones magis minusve extensas tenentibus (Hydroa) confundas. Quae quidem vesiculae eas inprimis partes incolunt, quae epidermide tenera instructae sunt, abdominis pectorisque superficiem anteriorem, collum, inguina, foveas axillares, umbilici cutem vicinam, oris circumferentiam.

III. Bullae.

Morbi bullosi, Pemphigus et Rupia, licet omnes cutis regiones pedetentim peragrare et magnas plagas bullis obducere queant, raro tamen omnem cutis ambitum simul infestant, sed extremitatibus plerumque, inprimis inferioribus circumscripti consistunt.

1. Pemphigus

morbus est cutis modo universalis modo localis. Pemphigus unica tantum bulla in corporis aliqua parte conspicuus (Pemphigus solitarius) perraro observatur. Corporis regiones eruptionibus pemphigodibus gratissimae extremitates sunt inferiores, sed accidit quoque, ut extremitates superiores, truncum et faciem, rarius plantam pedis cutemque capillatam et partes sexuales teneat. Facies, si Pemphigo laborat, bullis plerumque confluentibus obtecta est, quod vix unquam in aliis corporis regionibus occurrere solet. Secundum Reilium (1) bullae in brachiis plerumque, sinistro praesertim, emergunt et probare id tribus casibus adjectis studet, quorum in postremo per totum morbi de-

---

(1) l. c. T. V.

cursum multo plures bullae in sinistris quam in dextris corporis partibus observabantur. Cui accedit casus a Wichmanno (1) observatu, illi plane similis. — Pemphigus pedum oedemati superveniens bis pedem sinistrum unice occupabat.

Pemphigus a dextro brachio oriundus, nusquam est observatus, nec nisi unicum exstat exemplum, quo ejus bullae primum in pede dextro occurrebant et majore deinceps numero in dextro quam in sinistro corporis latere inveniebantur. In casu quodam memoratu digno bullae ad zonae instar in fasciam quasi collectae thoracis parietem sinistrum cingebant. Pemphigi eruptio utrum in casibus modo allatis ab uno semper latere inceperit, altero sano, an alterum latus prae altero tantum pluribus bullis obtectum fuerit, hoc proh dolor! non dilucide indicatum est.

Reil de Pemphigi sede in sinistro latere frequentiore causam investigans, quaestionem proposuit, num forsan cor huic lateri propinquius aut renis sinistri frequentior affectio Pemphigi in hoc loco eruptioni faveat quod probabile visum est Mehlisio (2), cum in casu quodam a Braunio allato bullarum eruptioni cum urinae secretione turbata mutua interfuisset ratio, quippe quae ex eo patuisset, quod simul cum renis sinistri affectione plurimae quoque bullae in eodem latere exstitissent. Quae quomodo se habeant, non nisi casuum uberiorem observationem rei tam obscurae lucem aliquam allaturam esse censemus.

---

(1) Monographie du Pemphigus. Paris, 1813.

(2) l. c. p. 67.

Uti de Scabie, Miliaria, Variolis, cett. internis, ita quoque de Pemphigo interno, conjunctivae oculi (J. Frank), cavi oris et faucium, (Fr. Hoffmann, Reil, J. Frank, Willan, Raimann, Rayer, Albers, alii) oesophagi, ventriculi, intestinorum, (J. Frank, Rayer, Dickson, Christin,) vaginae (J. Frank, Rayer,) non desunt observationes (1).

2. Rupia.

Sedes Rupiae frequentissima extremitates inferiores apparent, unica saepe bulla conspicua, et si quando, quod non tam raro fieri solet, regiones lumbales, nates, extremitates superiores aliaeque regiones morbo corripiuntur, ab extremitatibus tamen inferioribus primam originem plerumque ducunt, et modo tantum secundario ad partes illas progrediuntur. Rupia extremitatum inferiorum cum homines imprimis cachecticos vel aetate provectiores infestet, quod attinet ad hanc sedem sibi eligendam ab humoribns potissimum hoc loco stagnantibus deducendum esse videtur (vid. Fr. 11).

IV. PUSTULAE.

Nulla facile integumentorum corporis communium pars existit, quae ab eruptionibus pustulosis semper libera remanserit, sed aliae prae aliis cutis regionibus gratae sunt his efflorescentiis. Alii horum morborum omnem fere eodem tempore corporis superficiem obtegunt (Variola, Varioloides, Ecthyma), alii regiones magis minusve circumscriptas tenent (Impetigo, Favus), alii denique

---

(1) c. f. Jahn, Versuche für die pract. Heilkunde 1. Heft zur Naturgeschichte der innern Exantheme. p. 177.

certis semper arctisque limitibus sunt inclusi (Sycosis, Acne).

Pro duplici pustularum forma, psydraciarum quidem et phlyzaciarum scriptores veteres variam his morbis sedem tribuerunt. Sic Alex. Trallianus (1), Paul. Aegineta (2) aliique psydracias eruptiones esse capiti proprias, phlyzacias aliis regionibus docebant. Non tamen praetermittendum est, Galenum psydracias ceteris quoque partibus communes habuisse.

1. Variola.

Primae ejus pustulae in facie plerumque occurrunt, ibique labium imprimis superius, nasi partes laterales tenere solent; tum in mento, cute capillata, collo et pectore prorumpunt; nychthemero dein praeterlapso in brachiis aliisque corporis regionibus, et postremo in extremitatibus inferioribus conspiciuntur, ita ut exanthema duobus demum aut tribus diebus praeterlapsis plane eruperit.

Plurimae pustulae in facie inveniuntur. — Exstant quoque casus, in quibus Variolae alterum modo corporis latus occupabant, altero sano vel alio morbo correpto. Himly alterum latus Rheumatismo laborans, alterum pustulis variolosis pluries se vidisse profitetur (3). In casu quodam a Pfuendelio communicato foedus adspectu puer fuisse dicitur, cujus faciei sinistra dimidia pars maxime tumida et pallida erat, dextra ad quadraginta pulchris plenisque Variolis florebat (4). Item Va-

(1) Opp. lib. I. cap. 5.

(2) Paul. Aegin. lib. III. cap. 1.

(3) Mehlis l. c. p. 58.

(4) Hufeland, Bemerkungen über die natürlichen und geimpften Blattern. Ed. III. 1789. p. 23.

riolarum et Morbillorum contagiis in eundem hominem irrumpentibus, ni aliud horum exanthematum ab alio retentum, post ejus decursum demum efflorescebat, utrumque exanthema, quamvis commixtum plerumque saepius aliud alterum in uno latere detinuisse commemoratur, ita quidem, ut alterum latus Morbillis, alterum Variolarum pustulis occupatum esset (1). — Casum, in quo pustularum magna copia unum tantum latus tenebat, altero sano vel unica tantum alterave pustula laborante, Pechlin (2) semel vidit.

Variolas praeter cutem et alias partes membranaceas, praecipue tunicas mucosas invadere posse, medici multis omni tempore observationibus affirmare studuerunt, et in membranis quidem mucosis nasi, oris, faucium tractusque intestinorum Forest, Boerhave, de Haen, Fr. Hoffmann, Stoll, Albers et alii; in membrana mucosa nasi, laryngis, tracheae et bronchiorum Boerhave, Hoffmann, Stoll, Cotugno, Morgagni, Hastings; in membrana mucosa labiorum pudendi majorum Albers; in epithelio praeputii Forest, de Haen, Albers; in membrana conjunctiva oculi Heim pustulas variolosas se vidisse contendunt. Sed existunt quoque, qui in tunicis serosis, e. g. cerebri (Mead, Landrich), in pleura et costali et pulmonali [Forest, Fernelius, Sennert, Stoll, Boerhave aliique multi (3)], in membrana serosa hepatis, lienis, intestinorum, et in omento (Fernelius, Boerhave, Paraeus, Dimsdale, Morgagni, et alii) Variolarum turpe genus se vidisse

---

(1) Ettmüller, prax. med. lib. I. c. Opp. ed. Mangetus I. II. p. 629.

(2) l. c.

(3) cf. Jahn l. c. p. 170.

affirmant. Quid? nonne adeo in ossium superficie Variolas observatae sunt? —

Cicatrices pustulas insecutae, teste Heimio (1) in collo, facie, et imprimis fronte et genis multo profundiores sunt, quam quae in brachiis, dorso, abdomine et pedibus occurrunt.

Varioloides cum eandem praebeant sedis suae rationem, non est, quod earum mentionem faciamus strictiorem.

Varicellae, quamvis a scriptoribus de morbis cutaneis in numero Vesicularum habitae sint, hic tamen propter similitudinem, quae eas et Variolas intercedit, locum teneant.

Scire enim interest Variolarum pustulae, dum primum faciem, collum et pectus infestant, Varicellae vesiculas in trunco plerumque ejusque inprimis dorso principium ducere, et ad caput transgressas perque plures dies successive erumpentes, consistere in extremitatibus. Vesiculae discretae sunt et toto plerumque corpore potiuntur. — Quae modo de Variolarum cicatricibus adtulimus, ea quoque de Varicellarum valent.

2. Ecthyma

aut idiopathicum est, rebus quidem externis cutem irritantibus, aut symptomaticum, organismi perturbatione interna productum. De idiopathico, negotiatorum e. g. aromatariorum, caementariorum, cett. manus corripiente, silemus; Ecthyma, quod vocant symptomaticum extremita-

---

(1) Ueber die Diagnostik der falschen Pocken etc. in Horns Archiv. Jahrg. 1809. p. 223.

tibus et trunco, raro (E. infantile et cachecticum Willani) capiti insidit. In trunco vero acromia, nates, collum et pectus morbo potissimum affecta reperies. Pustulae nunquam agminatae, sed potius per majora minorave spatia disjunctae sunt et magnas saepe tali modo superficies, totum adeo corporis ambitum obtegunt, quamvis finibus plerumque angustioribus circumscribi soleant.

Ecthymatis variae species quoad sedem suam quodammodo inter se differunt. Ecthyma quod vocant vulgare in extremitatum plerumque aliquo loco, rarius in collo et acromiis considit. — Ecthyma infantile multo majore territorio potitur, non extremitates solum et truncum, sed capillatam quoque cutem et faciem pustularum gregibus obducens. — Ecthyma luridum omnes interdum cutis regiones simul adoritur, sed faciei tamen plerumque parcit. — E. cachecticum. Pustulae, in extremitatibus primum apparentes et in his subsistentes, aut aequabili modo dispersae sunt aut in turmas irregulares collectae. Saepenumero eruptio super truncum, faciem et cutem capillatam se extendit. Accidit quoque, ut (in casibus raris) pectoris regiones primum pustulis obtegantur.

Pro variis locis, quibus insidunt pustulae, varios afferunt characteres.

Nam quae pectoris abdominisque regiones tenent pustulae, minus plerumque prominent, quam quae in facie et brachiis conspiciuntur, minori puris quantitate turgent et squamis potius quam crustis incedunt. — Et in oris, faucium, linguae membrana mucosa Rayer Ecthymatis pustulas vidit.

E regno anorganico plures substantiae, si loco alicui cutis admoventur, pustulas efficiunt; quae vero quum fere semper in eo consistant, haud ampliorem postulant descriptionem. De unica tantum substantia, cum certo loco inducatur, et alibi pustulas efficere innotuit, de Tartaro stibiato videlicet, si methodo Autenriethiana in cutem e. g. pectoris, abdominis applicatur. Quo quidem casu in partibus sexualibus externis inprimis in scroto subinde observatae sunt pustulae (Antimonia), quarum originem a Tartaro emetico absorpto deducere solent, medici, quas vero unguenti pauxillo per incuriam aegroti in has partes translato effici opinatur Rayer. (1) Qua in re quaeritur, num eruptio secundaria Tartaro quoque per emplastrum adhibito, quo ista translatio non tam facile existere potest, efficiatur, nec ne?

3. Impetigo,

quamvis omnibus cutis regionibus detrimentum inferre possit, facies tamen et praesertim extremitates morbo sunt prae ceteris gratae. Impetiginis eruptio in uno alterove corporis loco saepe a rebus externis cutem irritantibus pendet, quippe quae secundum Schoenleinium (2) fere semper Impetiginis sparsae originem constituunt; saepe ejus eruptio in extremitatibus inferioribus organorum chylopoeticorum perturbatione corporisque statu decrepito efficitur, ejusque delectus ab iisdem causis pendet, quibus, caeteris paribus, ulcera harum partium in talibus hominibus tam frequenter obviae videntur. (Fragm. 11.)

a) Impetigo figurata. In facie, nec tam raro

(1) l. c. Tom. I. p. 740.
(2) l. c. Bd. 3. p. 27.

in extremitatibus, fere nunquam in trunco, Schoenleinio autem teste in extremitatibus superioribus saepissime observatur. Si in facie erumpit, genas plerumque infestat, rarius labium superius, a cujus parte intermedia hinc illinc aequabili via deorsum vergit, ubicunque ad mystacis instar labitudine quatuor ad quinque linearum collocata. Rarius alis nasi insidit (Dartre stalactiforme, Alibert,) rarissime palpebris, quarum superficiem crustis eminentibus, conicis inducit, et singularem ophthalmiae speciem, ciliorumque destructionem efficit, uti Cazenave et Schedel (1) in xenodochio Sti Ludovici Parisiis in utraque palpebra viderunt. — Impetigo figurata si extremitates superioris adit, minoribus plerumque et rotundioribus maculis incedit, quum in extremitatibus inferioribus, quas raro maculisque irregularibus, ovalibus obtegit (2).

b) Impetigo sparsa. Impetigo figurata dum faciem imprimis vexat rariusque ad extremitates et truncum transit, hac e contrario specie extremitates potissimum inferiores correptas vides, capite et trunco fere semper immunibus relictis.

Extremitatum flexuras articulares tenet, nunc unicum locum infestans, nunc totius cujusdam membri vel plurium ambitum simul aut modo successivo pustulis obducens. Ita in extremitatibus inferioribus a genubus ad malleolos dorsumque pedis, nec non in superioribus super totum antibrachium extensas vidit Sauvages (3). Saepe accidit, ut J. sparsa ad pedis digitos accedens,

(1) l. c. p. 146.

(2) Rayer l. c. p. 671.

(3) Sauvages, Class. X. gen. XXVII. spec. 7.

unguium matrici detrimentum inferat. — Imp. spars. extremitatum superiorum leviorem morbum constituit, quam quae in inferioribus simul cum oedemate et ulceribus conjuncta est. — I. sp. capitis aut faciem aut cutem capillatam, aut, per exceptionem, utrumque locum simul occupat. In facie genis et barbae inhaeret et in infantibus saepe ad nares, quas crustis crassis, siccis obstruit, extenditur. I. sp. capitis capillati vix in adultis, fere semper in liberis invenitur, ejusque partem posteriorem, rarius omnem superficiem (teigne granulée Alibert Porrigo favosa Willan.) obtegit. — Et in collo et auribus hanc Impetiginis varietatem observarunt.

Impetiginis ea species, quae naturae quasi ancipitis, veras pustulas Impetiginis simul cum vesiculis Eczematis offerens et ab utroque morbi genere characteres mutuans, a Callisenio Herpes pustulosus, a scriptoribus recentioribus Eczema impetiginodes nominatur, in carpo manus apparet et super manuum dorsum se extendit digitosque eruptionibus successivis adtingit. Rarius contraria vix incedens, a manuum carpo ad antibrachium, plicam cubitalem, et in casibus rarioribus ad cervicem et faciem usque protinus tendit.

4. Acne.

Quam magna sit pustularum eruptio, semper tamen Acne morbus cutis localis est, nec facile unquam omnem eodem tempore cutis superficiem a vertice ad calcem occupat. Loca corporis huic morbo maxime dilecta regiones ejus superiores, facies quidem et trunci pars superior sunt nec nisi in casibus rarissimis extremitates adit. In facie

certas semper et valde constantes regiones sibi eligit, unde veluti a focis quoquo versus pustularum agmina emittit. Tales sunt regiones massetericae, tempora, genarum pars anterior, nasus ejusque inprimis ille locus, quo cartilago alarum narium cum cartilagine triangulari conjuncta est, et frontis denique totus ambitus. Si vero truncum adoritur, dorsi partem superiorem, cervicem, praesertim regionem interscapularem et scapularem tenet, hinc ad collum, regionem acromialem pectorisque varias regiones pustulis extensa. Bateman Acnen nunquam trunci partem inferiorem et extremitates adtingere contendit, cui Blasius(1) nec non Cazenave et Schedel(2) contradicunt, se pustulas non semel per totum dorsum et adeo (Blasius) in casu quodam singulari solas clunes occupare se vidisse professi. Malo super magnam superficiem extenso, secundum auctores modo laudatos (Blasius, Cazenave et Schedel) et lacertorum latus dorsale non raro pustulis obtegitur.

Quodsi in facie occurit Acne, fere semper et trunci ea laborat, nec vice versa. Saepe in hominibus totam faciem ab eruptione liberam conspicis, dum, vel insciis ipsis, dorsi universus ambitus pustulis conspersus est.

Quae jam de Acnes sede peculiari generatim diximus, ea de Acne inprimis simplici et indurata valent. Acne rosacea auctorum, quae, uti cum Rayero credimus, ad Acnen minime pertinet, sed morbi singulare genus constituit, nunquam in trunco et extremitatibus observatur, sed faciem semper unice tenere solet, ibique arctis plerumque finibus, naso quidem ejusque cute vicina

(1) Bateman l. c. p. 324.
(2) l. c. p. 207.

circumscripta est. In hominibus tantum juvenibus indole hereditaria huic malo pronis, in aliis quoque faciei regionibus erumpere posse dicitur, maculis irregularibus, protinus subinde pergentibus et, accedente vitae ratione irregulari, totam demum faciem invadentibus. Acne rosacea, si, quod fere semper accidere solet, nasum primum aggreditur, ab ejus apice plerumque oriunda, aequabili ratione ad partes vicinas procedit, et nasum ingente volumine tumentem, nares amplificatas, hiantes marginibusque quasi diffissas relinquit. Raro his finibus circumscriptum desinit malum, sed, momentis praesertim occasionalibus persistentibus, ad genas, quarum plerumque aliquam tantum partem tenet, transgreditur. Immo frontem et mentum metamorphosi hac morbosa interdum correpta vides.

Rayer in morbo nostro cryptas cutis sebaceas affectas esse credit, hisque verbis rem affirmare studet: »Le mode de formation des pustules de l'acné, les autres dispositions morbides, qui les accompagnent presque toujours, le developpement des follicules sur les régions de la peau où l'acné se montre, l'absence constante de cette éruption sur les régions non pourvues de follicules sebacés telles que la paume des mains et la plante des pieds, sont autant de circonstances qui autorisent à penser que le siège de l'acné est dans les follicules de la peau.« — Quae si ita se haberent, quod observationibus anatomicis amplius adhuc eruendum est, facile quidem intelligeremus, pustulas non nisi in iis locis, qui folliculis sebaceis referta sint, existere posse; quae vero causa subsit, cur partes magna folliculorum copia abundantes, uti scrotum aliaeque, fere nunquam huic morbi generi obnoxiae sint, non ita facile intelligitur, sedisque

igitur ejus delectus a causis hucusque incognitis repetendus est.

5. Sycosis,

morbus cutaneus arctissimis finibus inclusus, peculiarem sedem capitis eas partes sibi eligit, quae in viro barba obtectae sunt (Sycosis menti), nec nisi perraro cutis capillatae circumferentiam, occipitis quidem, frontis, temporum et auris externae loca vicina (Synosis capillitii Batem). Pustulae has partes obsidentes molliores et magis acuminatae, quam in facie, esse feruntur.

Sycosis in facie erumpens, mentum plerumque, labium superius, regiones mandibulares et faciei omnino partes laterales aut simul aut singulis eruptionibus continuo insequentibus invadit, aut singulis regionibus inclusa persistit, ita ut in altero tantum latere genae alterius utrius aut menti latere pustularum agmen reperias.

Quum Sycosis menti fere semper in maribus, nec nisi perraro et indole multo leviori in sequiori sexu obveniat, et faciei eas tantum partes, quae barba obtectae sunt, obsidat, pilos eorumque inprimis folliculos hoc in morbo essentialiter esse affectos, omni jure concludere possumus, quamvis, qua id ratione fiat, num similiter ac in Favo, vix suspicari liceat.

Hac sedis suae peculiari indole Sycosin facile ab aliis efflorescentiis similibus, ab Acne e. g. indurata itemque etiam a pustulis syphiliticis, internoscitur, quippe quae, si faciei partes inferiores tenent, raro his locis terminentur, sed fere semper alas nasi, frontem labiorumque commissuras adeant.

6. Favus.

Quum recentioribus medicorum disquisitionibus (Bau-

delocque) verisimillimum factum sit, Porriginem favosam et scutulatam auctor. veterum morbum esse non tam integumentorum corporis communium sed potius bulborum pilorum; vix dubitari potest, quin omnes cutis regiones, quae pilis instructae sunt, huic morbo sedem praebere possint, et facile est intellectu, loca maximo pilorum numero et cultu insignia prae ceteris Favo esse obnoxia, — capitis nimirum capillatam cutem.

Vix una est capitis capillati regio prae alia morbo dilecta, sed eum nunc reperis in tota ejus superficie, nunc per turmas in singulis locis coacervatum (Porrigo scutulata), nunc coronae instar cutis capillatae peripheriam cingentem. A capite pustulae tempora saepe, palpebras, frontem, rarius humeros, regionem scapularem inferiorem, cubitos et antibrachia infestant. Brachia saepe sola morbo laborant, quod non nisi contagio, casu quodam in ea translato, fieri solet. Rayer puerum quendam Porrigine scutulata affectum curavit, cujus mater decoctis emollientibus administrandis ad digitos pluribus pustulis correpta erat. Interdum quoque accidit, ut magna corporis superficies eodem tempore favis obruatur, quod Rayer in libero quodam duodecim annorum vidit, cujus totum trunci dorsum ad os sacrum usque, genua femorumque superficies interna superior pustulis favosis foedata apparuit, libera exstante capillata cute.

Memoratu dignum est, pustulas trunci fere semper esse dissociatas, leviori decursu incedere, et, sicuti in membris, vix unquam cum aliis efflorescentiis morbosis (ni forte cum Impetigne) esse conjunctas.

V. Papulae

omnibus quidem cutis regionibus insidiantur, alia tamen

loca prae aliis ab iis petuntur. Trunci extremitatumque superficies dorsalis papulis saepissime visitata est. Nunc unicam tenent regionem magis minusve circumscriptam, nunc eruptione fere generali incedunt, nunc, quod quidem plerumque fieri solet, plures simul et saepe valde remotas superficies occupant.

Quodnam cutis elementum in papularum evolutione inprimis laboret, disquisitionibus anatomico-pathologicis nondum demonstratum est; nam conjecturam a quibusdam auctoribus, Batemano praecipue, prolatam, papillas cutaneas in hac affectione inflammatas esse, quum in iis locis, in quibus plurimae et evolutissimae papillae inveniuntur, in digitorum videlicet extremis volaque manus, istae inflammationes vix unquam conspiciantur, praejudicatam esse et plane improbabilem, nemo non intelligit.

1. Lichen.

In omnibus corporis plagis observatur et aut universalis aut, quod quidem saepissime fit, localis existit. Quodsi localis est efflorescentia, manus inprimis, antibrachia, collum et faciem infestat, saepeque rebus externis hae partes irritantibus efficitur. Sic in facie saepe solis calore vehemente, in brachiis, praesertim antibrachiis, apud coquos et fabros ferrarios foci ardore detrimentoso, in manibus apud negotiatores aromatarios et omnino homines substantiis pulverulentis manus saepe inquinantes Lichenis papulae conspiciuntur. Et in extremitatibus denique inferioribus hominum rerum inopia laborantium, ideoque ad constitutionem corporis debilitatorum Lichenem, inprimis simplicem, invenis colore violaceo indolem asthenicam ostendentem (Lichen lividus Willan), et maculis purpureis intermistum (vid. Fragm. 11.).

a) Lichen simplex. Aut faciei, collo, brachiis insidet, aut, a facie et brachiis oriundus, per tres aut quatuor dies ad truncum et extremitates inferiores extenditur. Trunci vero et extremitatum superficiem dorsalem saepiusque ea loca, quae pilis perforata sunt (Lichen pilaris Willani) tenere solet. Pro vario morbi charactere, vel acuto vel chronico, varias regiones invadit. Lichen quidem simpl. acutus faciei plerumque et trunco insidet, dum L. s. decursu chronico conspicuus, fere semper extremitates, manuumque inprimis dorsum adoritur.

Quam Biett Lichenem gyratum vocat varietatem, Cazenave et Schedel (1) semel ad fasciae instar ab anteriore pectoris parte incipientem, ad brachii superficiem internam progredientem, in eo decurrentem et obliqua directione super totum ejus marginem interiorem usque ad digiti minimi extremum, nervi ulnaris totum decursum sequentem viderunt.

Ab Eczemate, quocum saepe commutatur Lichen simplex, vel sedis suae delectu dignoscere eum potest, Eczematis vesiculis abdomen plerumque et brachiorum superficiem internam obsidentibus, Lichenis autem simplicis papulis extremitatum superficiem externam plerumque tenentibus.

b) Lichen circumscriptus manuum inprimis dorso, antibrachiis, poplitibus et regioni sternali inhaeret.

c) Lichen agrius superficiem plerumque minus extensam, faciei praecipue varias plagas, rarius magnum simul corporis ambitum occupat. Si in facie apparet, cum Acne rosacea facile commiscetur, at eo differt, quod frontem, genas et labia plerumque tenet, Acne autem rosacea a naso plerumque incipit.

d) Lichen urticatus collo et faciei lateri insidens, hinc eruptionibus successivis ad truncum et extremitates progreditur ibique maculis parvis confluentibus conspicuus est. Papulis hoc modo perpetuo erumpentibus primo adultae evanescunt, facta resolutione aut desquamatione.

e) Lichen Strophulus faciem inprimis, collum, brachia, lumbos papularum turmis halonibus nigris cinctis obsidet. Strophuli variae species sedis respectu habito quodammodo inter se differunt. Ea quidem varietas, quam Willan Str. intertinctum nominavit, in genis plerumque, antibrachiis manuumque dorso, rarius super omnes cutis regiones dispersa est, similique modo Str. albidum in facie inprimis, in collo et pectore, cum intertincto saepe commistum invenis. — Str. candidus papulis per majora spatia distinctis lumbos, acromia brachiorumque partem superiorem obte-

---

(1) l. c. p. 267.

git, licet in facie etiam et collo, florente eodem tempore in antibrachiis Str. conferto, Willanio observatus est.— Str. confertus faciem, truncum et extremitates magno saepe papularum numero obducit. Pro varia aegrotorum aetate quoad sedis delectum variat, et in infantibus quidem liberisque quatuor vel quinque annorum genas et frontem, in liberis septem vel octo annos natis acromia, lumbos, manuum et brachiorum superficiem externam invadit papulisque majoribus minusque accumulatis insignis est. In extremitatibus superioribus, in collo et acromiis papulae plerumque turmas irregulares constituunt. Accidit quoque, licet rarissime, ut extremitates inferiores Strophulo conferto laborent et papulae modo successivo ad suras, femora, nates, lumbos usque ad umbilicum, cum magno pruritu et epidermidis desquamatione conjunctae, prorumpant. — Stroph. volaticus item in facie, trunco et extremitatibus apparet. — Strophuli variae species haud raro in uno eodemque libero intermistae exstant.

2. Prurigo

certis corporis regionibus peculiaris, regiones acromiales, collum et omnino cutem trunci dorsalem prae ceteris locis invadenda sibi deligit. Rebus externis cutem irritantibus provocata, Pruriginis eruptio saepe localis apparet. Talis est Prurigo podicis, pudendi muliebris, quippe quae ascaridibus, haemorrhoidibus, fluore albo non tam raro efficiatur. Si in extremitatibus et adeo facie fit eruptio, vel omnem cutis superficiem tenet, (quantum ambitum adtingere Pruriginem posse, a quibusdam scriptoribus omnino negatur), morbus gravior habendus est.

Pruriginis variae species quoad sedem eo tantum inter se differunt, quod Prurigo mitis ut levioribus symptomatibus incedit, ita quoque loca illa papulis inprimis grata haud facile transgrediatur, dum Pr. sic dicta formicans et senilis graviori decursu incedens, omnes saepe, praeter faciem pedes volamque manus, corporis regiones teneat, et iis praecipue locis, quae vestimentis arcte circumdantur, detrimentum inferat.

Varietates locales, quae non tam frequenter occurrunt, propter sedis suae peculiarem delectum seorsum describamus:

Prurigo podicis in margine ani et clunium parte interna erumpit, ubi cutis aspera papulisque conserta apparet. — Prurigo scroti aut sola existit aut simul cum varietate antecedente sociata, papulaeque saepe ad penem usque aberrant. — Prurigo pudendi muliebris montem Veneris et labia majora pudendi incolit, unde papularum gregibus in vaginae membranam mucosam irruere eamque in superficiem asperam transmutare solent.

Cavendum est, ne cum his eruptionibus localibus alias affectiones confundas, cum Prurigine sic dicta, praeputii, pubis et urethrali, quippe gonorrhoea balani spuria, pediculis pubis, calculis vesicae urinariae producta, a morbis cutis eruptivis plane diversa, nec nisi pruritum molestum communem habente.

VI. Squamae.

Uti plurimi morbi cutanei, ita et squamae plures et fere omnes cutis regiones afficere possunt, truncum, caput et extremitates; attamen corporis quaedam loca squamis inprimis petuntur et, quum magnum teneant campum, hae tamen regiones praecipue et primarie afficiuntur, et morbi imaginem perfectissimam praebent. Sunt vero extremitates tam superiores quam inferiores. Maculae squamosae nunc disjunctae tenuique numero dispersae, nunc confluentes totam membri cujusdam circumferentiam involucro circumdant; aut ad sedem certam sunt adstrictae, aut mutabilem, per varias regiones vagantes. — Squamis peculiaris indoles inest, alias efflorescentias cutaneas a corpore detinendi, ita ut florentibus illis fere nunquam aliam impetiginum speciem in cute invenias.

1. Lepra.

Regiones corporis squamis leprosis saepissime obrutae extremitates sunt inferiores. Ab his partibus originem ducens, saepe locis natura epidermide crassa et aspera vestitis, cubiti superficie externa, genubus, vel potius cute ulnae et tibiae tuberositates contegente circumscribitur Lepra. His vero locis plerumque non contenta magnas deinceps adoritur extremitatum plagas, maculis orbicularibus antibrachiorum et crurum cutem obtegens, et eruptionibus subinde natis per lacertos ad pectus et in his maculis saepe eminentioribus et numerosioribus

conspicua est. Raro accidit, ut squamae leprosae ab acromiis ad collum, faciem et cutem capitis capillatam, aut, via contraria, ab antibrachiis ad manus transgrediantur; nec nisi per exceptionem his locis secundariis eruptione primaria, illis liberis relictis, insidet. — Si in capite efflorescunt maculae minorem ambitum, quam alibi, adtingere feruntur. Lepra nonnunquam in canthorum oculi externorum vicinia apparens, hinc supercilia, frontem et tempora squamis obducit. — Lepra extremitatem utramque plerumque aut superiorem aut inferiorem simul occupat.

Rayer (1) Leprae cujusdam varietatis mentionem facit, quam, licet in trunco plerumqne inveniatur, antibrachiorum partem inferiorem in eorum superficie anteriore et posteriore taeniae (Guirlande) circularis vel irregularis instar circumvolventem vidit.

Leprae ambae varietates, vulgaris et alphoides, non nisi eo inter se differunt, quod Lepra alphoides ut leviori decursu incedit, quam L. vulgaris, ita etiam regionibus minus amplis circumscripta est, sed potius locis illis squamis praecipue jucundis, extremitatibus quidem inferioribus terminatur. Lepra nigricans in exanthematum syphiliticorum numero habenda est.

2. Psoriasis,

aut totam corporis superficiem aut unicam tantum regionem tenet.

a) Psoriasis guttata. Aut eruptionibus successivis aut eodem tempore omnem cutis ambitum corripit, aut singulis locis, cuti capillatae, faciei, trunco, extremitatibus insidet. Maculae guttatae fere semper modo irregulari super partes correptas, hic magno numero, illic singulatim dispersae sunt, et in extremitatum quidem numerosiores apparent cute dorsali.

b) Psoriasis diffusa. Uti guttata ita et haec varietas per totam corporis superficiem observata est, quamvis extremitates sint morbo inprimis gratae. Cubitorum et genuum pars extensioni respondens his squamis saepissime gravissimeque affici solet, ita ut morbo decrescente in his locis diutissime persistat. Eruptio in-

---

(1) l. c. art. Lepra.

terdum tam densa fit, ut cruris et antibrachii (brachii) omnis pars dorsalis macula continua obtecta sit, et ad modum fasciae irregularis, rarius involucri totius extremitatis affectae longitudinem squamis inducat. Psoriasis extremitatum saepius confluit, quam Ps. trunci. — Rarius haec species plures eodem tempore regiones maculis multis infestat. Talem, quae magnam in aegrotis dorsi partem, abdomen, brachia usque ad digitos manus tegimentis squamosis circumdabat, *Cazenave* et *Schedel* (1) observarunt.

Reliquae species, Psoriasis quidem *inveterata* et *gyrata* Willani, quoad sedem nil peculiaris offerunt. Psoriasis inveterata ex utraque specie supra allata saepe oriunda, non nisi morbus gravior est, aegrotum saepe, facie parte aliqua et interdum volis manuum et plantis pedum exceptis, tanquam theca squamosa totum circumcludens.

Psoriasis pro varia sede peculiarem indolem ostendit, quapropter has varietates singillatim recenseamus.

Raro Psoriasis ratione primitiva in capitis *cute capillata* apparet, saepiusque sub forma *guttatae* quam *diffusae*. Quodsi Psoriasis diffusae speciem prae se fert, majus plerumque spatium tenet. In casu quodam a *Rayero* (2) observato fere totam cutis capillatae superficiem obtexit, frontemque ad fasciae pollicaris instar capillorum insertionem cursu parallelo coronavit. — In *facie* saepe simul cum ejus eruptione in aliis regionibus, nonnunquam vero solitariam conspicis, ibique saepe, uti Pityriasis, solas palpebras maculis ad canthos oculorum sitis obtegit. Quam auctores Psoriasin labiorum descripserunt varietatem, Pityriasi potius adnumeranda (cf. infra.) — Psoriasis *trunci* vix unquam sola exsistit, sed plerumque cum Ps. *extremitatum* consociata est, crustaeque in trunco tenuiores et minores esse, quam in extremitatibus, dicuntur. — Psoriasis *scroti* (Ps. scrotalis) *labiorumque majorum pudendi* rara varietas, plerumque cum Eczemate commixta, fines suos saepe

(1) l. c. p. 306.
(2) l. c. art. Psoriasis.

transgreditur et penem involucro circumdat. Rayer (1) Ps. guttatam in homine quodam cum rhaphe parellelam vidit. — Psoriasis praeputialis — alba avis — aut solitaria existit aut Pr. scrotali sociata. — Psoriasis manuum aut palmam (Ps. palmaria, dartre squammeuse centrifuge, Alibert), aut dorsum (Ps. pistoria, Gale des boulangers) occupat. Psoriasis palmaria, primum in palma manus vel planta pedis apparet eminentia parva, quae dum deplanatur ad centrum, ad peripheriam crescit et tota manu subinde potitur. Quae quidem varietas in sexu sequiori saepe cum Ps. labiali complicata est. Psoriasin pistoriam dorsum digitorum pedetentim adorientem rhagades articulorum profundae e vestigio persequuntur.

3. Pityriasis,

nonnunquam post graves impressiones in hominem factas intra breve temporis spatium fere totum corporis ambitum modo successivo invadere potest (Pityriasis generalis Rayer), sed pluribus in casibus unicae tantum regioni inhaeret (P. localis R.). P. localis ea inprimis loca appetit, quae pilis referta sunt, cutem igitur capillatam, supercilia, mentum. Ob eamque causam trunci et extremitatum superficiem dorsalem et extensoribus musculis respondentem saepius graviusque morbo correptam invenis, quod in desquamatione videre licet, in trunci et extremitatum dorso semper graviori, quam in latere opposito. In extremitatnm quidem tam superiorum quam inferiorum latere externo epidermidem saepe magnis lamellis per centrum aut peripheriam cuti affixis, dependere vides, dum in latere opposito, eruptione leviore exstante desquamatio etiam lamellis minoribus, immo furfuraceis absolvatur. Cutis vero patellae et olecrano ulnae vicina et superjecta: nec minus palma manus et planta pedis maximis crassissimisque lamellis vestita apparet, quod vix mirandum, cum jam statu cutis sano haec loca epidermide crassiore et quodammodo squamosa gaudeant. In facie et cute capillata desquamatio plerumque furfuracea fit.

---

(1) l. c.

Pityriasis **capitis** saepe a minore capillorum matricis evolutione et vigore pendere videtur, cum in infantibus et senibus, quibus capillorum non tantus exstat numerus et vigor, saepius appareat, quam in hominibus juvenibus; nec dubito, quin aëri, cum faciliorem ad eas partes aditum habeat, magnam vim inesse in provocandam Pityriasin. Nam res externas cutem irritantes hujusmodi desquamationes saepenumero efficere inde elucet, quod cultri tonsorii obtusi usu saepius in mento desquamationes Pityriasi plane similes efficiuntur. Pityriasis capitis infantum partem frontis superiorem atque tempora tenere solet, in senibus saepe ad supercilia pergit, et si graviori incedit decursu, ad faciem plerumque et alias regiones progreditur. — Pityriasis palpebrarum saepe solitaria adest, ne vestigium quidem in aliis regionibus offerens, nec raro ciliorum lapsum partialem efficit. — P. labiorum, varietas satis frequens, aut labio superiori aut inferiori aut utrique simul insidens et cum Psoriasi labiali saepe commutata. — Pityriasis si volam manus plantamve pedis tenet, quo loco caveas, ne cum Psoriasi palmaria confundas, inflammatio saepe uti in Psoriasi, digitos adeoque ungues adoritur. — Et in epithelio praeputii labiisque majoribus pudendi similem nonnunquam desquamationem invenis.

Uti jam supra annotavimus, eruptiones squamosae saepe locales apparent, irritamentis quidem externis provocatae, in facie e. g. cultro tonsorio obtuso, in manibus negotiatorum aromatariorum, caementariorum, chalcographorum, feminarum lavando operam praestantium, al.

VI. Tubercula.

Lupus. (1)

Morbus plerumque in faciei parva plaga saevit, sed vexare etiam eodem tempore vel modo successivo plures corporis regiones potest. Nasus vero est, quem praesertim devastare solet, et secundo ordine genas, labia et men-

---

(1) Quamvis sub triplici forma tuberculosa, pustulosa aut maculosa (cf. Blasius, über den Lupus oder Herpes exedens. Rusts Handb der Chirurgie. Bd. XI.) appareat Lupus; tamen quod tuberculosam formam saepissime inducit, tuberculis eum vindicare liceat.

tum saepissime laedit. Non nisi in casibus rarissimis truncum sibi et extremitates sedem eligit. In trunco plerumque pectoris et acromiorum regiones, in extremitatibus antibrachiorum cutem articulis vicinam nec non manuum vel pedum dorsum tenet. Et in collo Lupum invenis, cujus aut anteriorem aut posteriorem partem occupat. — Scriptores de morbis cutaneis tres distinguunt morbi species, quas quoad sedem varietas aliqua intercedit, Lupum quidem exedentem, non excedentem et hypertrophicum.

a. Lupus exedens omnes, quarum modo mentionem fecimus, regiones tuberculis suis foedare potest, prae omnibus vero faciem, praesertim alas nasi ejusve cacumen saepissime corripit. Ab hoc loco proficiscens, membranam nasi mucosam per totam ejus extensionem et adeo palatum ad gingivam usque a tergo haud raro invadit. A naso proxime ad palpebras inferiores unico alterove tuberculo incipit et in ulcerationem majorem aut minorem transit, ita quidem, ut devastatio a genarum cute usque ad tunicam palpebrarum conjunctivam pertineat. Quodsi a labiis incipit Lupus exedens, eorum plerumque commissuris inhaeret. — Truncum praesertim Lupus non exedens infestat, sed exedentem quoque ad pectus et acromia conspicis.

Nonnunquam Lupus exedens per aliquot annos decursu successivo, plures regiones magis minusve amplas adoritur, vel in locis jam cicatricibus obductis denuo erumpit.

b. Lupus non exedens forma duplici cernitur, Lupi quidem non exedentis simplicis, tuberculum solitarium liberorum interdum alteram genam per plures annos occupans et cicatricem parvam relinquens (rara varietas), aut formam exhibens Lupi n. e. serpiginosi, qui faciem, pectus, extremitates, regionem infraauricularem, cervicem singulariter tenere solet. In facie incipit tuberculis parvis irregulariter congregatis, mox magnam, genae alterius vel utriusque partem, frontem et adeo faciem universam foedantibus. Morbi incrementum hoc modo fieri solet, ut juxta tubercula primaria novae continuo eruptiones fiant, nec hoc solum in facie, sed etiam

in pectore et extremitatibus morbi augmentum est. Rayer(1) totam extremitatem, e. g. brachium a humeris ad carpum manus usque Lupo laborantem vidit. — Si in cute infra auriculam sita aut in cervice apparet, Lupus serpiginosus modo versus collum et acromia, modo versus regionem occipitalem pergit, ibique capillorum lapsum efficit.

c) Lupus cum hypertrophia rarissime vel plane nunquam alibi observatus nisi in facie, incipitque semper tuberculis, plerumque numerosis magnamque superficiem immo totam faciem obsidentibus. Quodsi magnum ambitum adtingit, genae, nasus, frons, palpebrae, labia et nonnunquam a leo auriculae corripiuntur faciesque saepe ad volumen ingens et speciem degenerat. Saepius accidit, ut Lupus hypertrophicus consociatus exstet cum exedente. Tunc nasi cacumen aut alarum marginem Lupo exedente corrosa vides, dum partes vicinae L. hypertrophico corrumpuntur.

(1) l. c. art. Lupus.

VITAE CURRICULUM.

Julius Gustavus Baumbach natus sum anno MDCCCXII. die XXVII. mensis Martii Massfeldae, pago Meiningensi, patre Ernesto Friderico consiliario in causis publicis, matre Margaretha Eleonora e gente Jahn, quos dilectissimos parentes salva senectute gaudentes pietate amplector. Religionem confiteor evangelicam. Primis litterarum rudimentis in gymnasio, quod Ill. Schaubach, tunc temporis directore, Meiningae florebat, per septennium imbutus, atque examine, quod vocant, abiturientium absoluto, almam litterarum universitatem Jenensem petii, ibique Prorectore magnifico Ill. Kieser in numerum civium academicorum receptus et ordini Medicorum adscriptus sum. Per annos duos et dimidium disserentes audivi:

Cel. Scheidler de Logice, Hodegetice et Psychologia; Ill. Fries de Physice; Cel. G. Succow de Mineralogia; Cel. Zenker de Zoologia, Geologia et Botanice; Ill. Doebereiner de Chemia et Pharmacia; Ill. Huschke de Anatomia, Physiologia et de praxi anato-

mica; Ill. C. W. Stark de Pathologia et Therapia nec non de Chirurgia generali; Cel. Theile de Pharmacologia et Pharmacocatagraphologia; Ill. J. Chr. Stark de Chirurgia, de arte fascias et machinas chirurgicas applicandi nec non de arte obstetricia; Ill. Kieser de Pathologia et Therapia speciali, cujus etiam per semestre interfui institutionibus clinicis medico-chirurgicis.

Ineunte aestate anni MDCCCXXXIV. Berolinum me contuli, ubi Rector magnificus Ill. Straufs me in civitatem, Decanus maxime spectabilis Ill. Busch in ordinem nostrum cooptavit. Per duos annos et dimidium praelectionibus his interfui: Cel. Casper de Medicina forensi; Cel. Nicolai de Medicina publica; Cel. Romberg de Diagnosi; Ill. Mueller de Anatomia comparata et Physiologia generationis; Ill. Hecker de historia Medicinae; Cel. Troschel de Orthopaedia. — Exercitationibus clinicis interfui virorum Ill. et Cel. Osann, Bartels, Truestedt, Ideler, de Graefe, Dieffenbach, Rust, Juengken, Busch, Barez. — Quibus viris summe venerandis gratias ago ex intimo pectore profectas.

Jam tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso coram gratioso Medicorum ordine superatis spero fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in utraque Medicina honores in me conferantur.

THESES.

1. Quae contra generationem aequivocam prolata sunt argumenta, ad eam refellendam non sufficiunt.
2. Nullus exstat a plantis ad animalia transitus.
3. Causa proxima motus cordis vis est nervorum.
4. Dothienenteritis Bretonn. pro morbi tantum symptomate habenda est.
5. Nulla inflammatio chronica sine complicatione.
6. Morbi mentis non solum physicis sed etiam psychicis remediis sunt sanandi.
7. Quaestio, num vel matris vel foetus vita sit servanda, medico obstetricio esse non potest.
8. Putredo corporis humani certissimum mortis signum.